



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniae, 1658**

Cap. XIX.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45556**

si vitium, spiritui carnem, mundum Deo, malitiam Religioni, decalogo peccatum, toties mortem vitæ, & Barabbam Christo præponimus, nullus certe nostrum est, qui si rogetur, qualia sint lux & tenebræ, Christus & Satan, cælum & infernus, gehenna & gloria: non confestim respondeat contraria esse adeo ut si bonum sit unum, alterum necessario sit malum, si rursus rogetur, bonæne sint tenebræ, Satan, infernus, ignis gehennæ, haud dubie respondeat hæc extrema malum esse, & his contraria longe esse optima: & tamen aliter eligimus sæpe, & practicè dicimus; Video melior proboque, deteriora sequor.

§. 109. *Erat autem latro. v. 40.*

Nec vero simplex erat latro, nec qui multo tempore latrocinia exercuisset in silvis & campis, sed in civitate ipsa Hierusalem, homicidium fecerat & seditiosus, quod hominum genus solet magis esse exosum, uti est perniciosum magis. Vnde credo, si alter nequior Barabba inveniri potuisset, Pilatus eum populo proposuisset, ut Christum liberare potuisset.

Vah indignitatem! Salvatorem mundi filium Dei in statera seu bilance cum prædone, sicario, ac parricida adpendi, neque tamen præferri: vere hic quadrat quod Propheta dixit: *Cum iniquis deputatus est: & illud, vermis sum & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.* In Prælatione Barabba impletum est quicquid alias Dominus de suo contemptu per Prophetas conquestus est, sed & pro eo contemptu Dei nunc per hominem unum satisfactum est.

Gaudeamus igitur Christiani, non de iniuria fratris nostri, sed de hoc quod Deus tam piæ ex iniuria illa fecit culparum nostrarum medicinam. Habeamus ante oculos imaginem Domini pro nostra satisfactione contempti, ut habeamus illi gratiam per quem Deus Pater nobis dedit veniam, & quidem adeo copiosam.

## CAP. XIX.

§. 110. *Tunc ergo apprehendit Pilatus Iesum. v. 19.*

Cum Iudæi clamassent non Iesum sibi à Pilato dimitti velle in Paschate, sed Barabbam latronem; non salvatorem, sed interfectorem: non datorem vitæ, sed ademptorem, apprehendit Iesum sibi per Iudæos traditum. Sed quomodo apprehendit? multis modis invidiosus cedens in hoc Iudæis, quod cum ipsis maluit esse improbus, quam solo Iesu iustus & bo-

Quænam autem sint illa quæ Pilatus sensim magis magisque iniuste contra Dominum egit, alij Evangelistæ utcumque exposuerunt. S. Iohannes compendio transcurrit, & omnis mediis ad ultima gravissimaque perficitur.

CONFUNDOR ego Domine vehementer cum Francisco Borgia, Gandie Duce, quod tam altum stertam, ac dormiam, cum Christus oratione Dei pernoctet: quod tam sum impatiens, ubi Dominus meus ita mansuetus sustinet, petoque humiliter, ut semper cor meum in actionibus diurnis sit vigilans, nec dissipari sinat Christus eos influxus quos tam misericorditer à somno me excitans, in animum illabi permittit.

§. III. Et flagellavit. v. 1.

Iam incipit apparere, quo modo Pilatus Dominum apprehenderit: nempe flagellavit, quod facere non debuit in ignominiam innocentis non convicti de ullo crimine, non confessi. Sed occurrit quæstio, an Dominus semel tantum sit flagellatus: Multi credunt Christum nocte in domo Caiaphæ alligatum ad columnam à famulis petulantè habitum, alapis caesum etiam virgis suis manuarijs seu bacillis, ac loris flagellarum, nec hoc ego negem. Sed de Pilati flagellatione hic magis disquiro, de qua etiam sunt qui animadvertunt probabiliter valde bis esse flagellatum, semel ut ea pena castigatus populo satisfaceret Dominus & dimitteretur, nimirum ante condemnationem, latamque à Pilato mortis sententiam: & hæc flagellatio facta dicitur ad columnam, quæ modo visitur in Ecclesia Prædix Romæ estque valde humilis, altitudine trium Palmorum, & quæ vix pertingebat ad genua: eoque aptior crudeli, quæ tum parabatur laniens, quia sic corpus omne & antrosum & retrorsum flagellis & vulnere patebat: Deinde Authores censent Christum secundo flagellatum accepta iam à Iudice mortis sententia: tum enim moseerat reum flagellis cedere, aut virgis instar servi, ac mancipii, & tum temporis caesum voluit ad columnam, cuius meminit D. Hieronymus in Epitaphio S. Paulæ. *Ostendebatur, inquit, illi columna Ecclesie, porticum sustinens, infecta cruore Domini, ad quam vinculus dicitur & flagellatus.* Quæ ratione autem ad columnam stetit servator optimus & quomodo vinculus, facile quisque ingenuus ex semetipso æstimabit. Nudus omnino stetit ut constat ex revelationibus S. Brigittæ (lib. 4 c. 70.) cui de filio sic olim mater aperuit. *Iubente liçtore se ipsum vestibus exuit, columnam sponte amplectens, & toto corpore rudat, quod ipsum clarius explicuit alio loco Alligatus, inquit, nihil omnino operimenti habebat, sed sicut natus est sic stabat, & patiebatur erubescerentiam nuditatis suæ. Insigni sane pudore & vercundia quæ*

virgineo corpori, purissimaque Christi menti tormentum erat ipsa morte  
 manus. Si enim nobis ipsis qui tamen & concepti & nati sumus in sordibus  
 a di corporis aspectus in turpitudine ponitur, ac supplicio tali horresci-  
 mus, quanto magis Deo homini, in quem nullas peccati sordes cadere un-  
 quam potuerunt, & cui pudor ac castimonia a deo erat in oculis atque a-  
 moribus! sed paucis stylium dicamus ad *vincula* quibus ad columnam fuit alligatus, ijs primum implexæ manus, deinde pedes, tum etiam corpus ipsum,  
 tum denique iniecta collo catena rudis & gravis, quæ columnæ inhærens  
 & quasi infixa, caput traheret in declive, rotumque corpus pronum, ac  
 subiectum tenebat, sic ut totum pateret in flagra ac vulnera, quæ certatim  
 inflixerunt barbara & inanimata carnifices. Et quis numerus fuit flagel-  
 lantium? Primum à Pilato Præsidente de more flagellis cæsus est Christus: de-  
 inde ab universa legione quæ censebat mille capita, cuius Tribunus dice-  
 batur millenarius à mille scilicet militibus quos numerabat, denique à tor-  
 toribus ad illam lanienam mercede conductis, de quibus etiam aliqua  
 questio, dubiumque incidit quot ij fuerint: Communius dicuntur fuisse  
 sex, qui alternis in Christum fæde sævierunt, dum enim à frequentis verberare  
 hi respirabant, insurgebant illi, collectisque aliqua quiete viribus & infano  
 spiritu in flagra & vulnera toti incumbabant, & ita de numero flagellan-  
 tium habet communis opinio: à qua discedunt aliqui induciti auctoritate  
 B. Magdalenæ de Pazzi sanctimoniali Florentina, quæ & vitæ sanctitate &  
 revelationibus apud suos est celeberrima. Cognovit illa in excessu mentis  
 Christum à triginta paribus hominum id est à sexaginta crudelis lanienæ  
 administris fuisse flagellatum. Sed conciliari hæc cum illis possunt, si 60.  
 flagellatores eximios præ alijs magis humanis fuisse censuerimus. At cuius  
 generis fuerint Christi flagella & quis ictuum numerus? Paulus à Palario scribit  
 traditum à gravissimis auctoribus Christum primo fuisse cæsum virgis spi-  
 neis, vili sane supplicio: quo non afficiebantur nisi servi, & abiectissima  
 mancipia, flagellario enim apud Romanos pœna erat servorum, sicut li-  
 bertinorum iustigatio, ut patet ex lege servorum, sic flagellatio non solum  
 pœnæ, sed & ignominia servij, ut in ea Christus servator generis humani  
 quali pro servo, imo & pro fatuo haberetur, hi eum & virgis cædi solent,  
 & ita posteris sæculis ad dedecus ut videbatur æternum, sic S. Thomas E-  
 piscopus (apud Victorē Vtic. lib. i.) ad ignominiam virgis cæsus: sic sancta  
 Afra & S. Eulalia alijque male excepti, hoc supplicij genus exemplo Christi  
 probe docti, fortiter sustinuerant maxime autem illa x. millium militum  
 qui cum S. Achatio in monte Ararath Armenia & Mediæ crucifixi sunt.  
 Fuit deinde cæsus servator noster funiculis seu potius loris hamatis, ut ha-  
 bet

bet historia Ecclesiastica. Denique etiam catenis aduncis: ita à virgis primum lacerata cutis exterior, deinde à loris hamatis concisa intus carō, denique à catenulis ferreis penitus etiam ossa confusa sunt, ut nihil ad supplicij gravitatem deesse videretur: iuvat audire quid de hoc B. Virgo testis concia dicat, illa quondam D. Birgittæ sic locuta fertur. Confluxerunt inimici eius & flagellabant corpus eius ab omni macula & peccato mundum, lib. 1. c. 10. Ad primum igitur ictum ego quasi corde percussa, sensibus abducor & post tempus evigilans corpus eius laceratum video lib. 4. c. 70. Quomodo autem laceratum sit & quam fœde describere pergit bona mater. *Flagellis, inquit aculeatis, infixis aculeis & retractis, non evellendo sed sulcando totum corpus eius laceratur, ibid. & alio loco, Vidi, inquit, corpus eius verberatum & flagellatum usque ad costas: ita, ut costa eius viderentur.* Et vero quid ni viderentur ab immitti illa & prope innumerabili verberum grandine, quæ in humeros in pectus, in totum corpus Salvatoris depluit. De ea certe variè varij scribunt & loquuntur, quia res adhuc in occulto late mundum. *Granatensis* in suis meditationibus ait Christo in flagellatione inflicta verbera quingenta supra quinquies mille D. *Bernardus* supra sex millia. *Alfonsus* trecenta septuaginta supra quindecies mille verbera. *Landslusphus* in vita Christi asserit cuidam fœminæ sanctæ revelatum supra nonaginta, quadringenta, & quindecies mille verbera Christo ad columnam inflicta.

Ita cum ea res adhuc mortales latere videatur inter se variant authores, qui tamen in hoc contentiunt & vim, & numerum verberum immanem fuisse: & certe eum ita fuisse primo probat quod Christus cæsus sit à tota legione vel certe cohorte quæ ut minimum milites gregarios mille censebat, è quibus si singuli quaternos aut quinos ictus si inflixerint, iam quinquies mille repetito numerabis: quid si plures quaternis vel quinis? neque enim uno alterove verbere insana eorum rabies exlaciata, maxime cura ad eam lamienam etiam Iudæorum pecunia, pactaque mercede foret excitata & dæmones suas furias in hominibus exercerent. Deinde quod in immensum augeri debeat verberum numerus etiam suadet quod flagellatus sit à sex tortoribus, vel ut etiam alij credunt à sexaginta, & lacertorum robore validis, & sua immanitate ac ferocia satis concitatis; & pretio ac pecunia, cui omnia obediant, corruptis. Denique quod ut, D. *Brigittæ* revelatum, in tota Passione impacta vulnera supra septuaginta quinque, quadringenta, quinquies mille, quorum pars maximè tribuenda toties, ac toties iteratæ flagellationi; quod si sacro Christi corpori tot indita vulnera plura sine dubio verbera illud impetiverunt. Et hæc dicta velim ex authorum iudicio, ac monumentis è quibus peti debet cuncta illius tragœdiæ series; quam

Jam oculis tibi subiecit mens Christiana, haret, stupetque attonita, nec  
 satis capit prodigium illud vel inhumanitatis in homine, vel patientia in  
 Deo, & hanc & illam animo dum spectat Augustinus exclamat. Ecce pro  
 impio pietas flagellatur, pro stulto sapientia illudatur, pro mendace veritas neca-  
 tur, damnatur iustitia pro iniqua, misericordia affligitur pro crudeli, pro misero reple-  
 tur sinceritas aceto, inebriatur felle dulcedo, addicitur innocentia pro reo, moritur vi-  
 sa pro mortuo. Vbi per eas antitheses facti seriem exposuit, damnavitque,  
 cum ipsas naturæ licet inanimæ sensum exprimit ac horrorem. Expavit, in-  
 quit, scelus hominum natura rerum, & certe quidni expavescat, horreatque in autho-  
 re suo in parente universi, in Deo id conspici quod in homine perditissimo, imo in bru-  
 to animante, in cane vix posset humanus oculus intueri, & tamen id in Christo corpo-  
 ris oculis & quidem sine doloris sensu conspexerunt Iudæi, & nos, qui Christiani dici &  
 esse volumus, mentis ac fidei oculis intuemur sine affectu compassionis. An non ille stu-  
 por quem inferi superique damnent ac decedantur? sed ab illo discedamus & ad  
 extremum adijciamus illud, quod scribit Lanspergius, viro imprimis sancto &  
 Dominice Passionis studioso divinitus revelatur, expressos in immittit illa flagellatione  
 sanguinis globos crassiores, & iuste molis supra quinque ac ducentos etiam triginta  
 millia: Quantam igitur esse oportuit illam laniam a qua tanta copiose  
 sanguine prope merus Deus homo, Agnusq; mitissimus! quam exundans  
 illud torcular quod calcavit solus, quam grande spectaculum (inquit Ruper-  
 tus) mundo angelis & hominibus, ut à servis peccati, Princeps libertatis, servilibus &  
 eruentis modis a cadereetur, nimirum & multa & grandia esse oportuit flagella pec-  
 catori propter quæ Deum ipsum ita flagellari necesse quodammodo fuit, necesse in-  
 quam amoris, & divine charitatis: illa enim est quæ & vincula manibus implevit &  
 flagella expedit. O charitas (exclamat Iustinianus) quam magnum est vinculum  
 tuum, quo Deus ligari potuit? nullum vinculum filius Dei ad columnam tenere po-  
 tuisset, si charitatis vinculum defuisset.

**R**ogo ergo te Domine Iesu per illa salutifera vulnera tua quæ passus es  
 in flagellatione tua pro salute nostra, è quibus emanavit ille pretiosus  
 sanguis quo sumus redempti: vulnera hanc animam meam peccatricem  
 pro qua etiam mori dignatus es, vulnera eam igneo & potentissimo telo  
 tuæ nimæ charitatis. Confige cor meum iaculo tui amoris ut dicat tibi a-  
 nima mea, charitate tua vulnerata sum: ita ut ex ipso vulnere amoris tui u-  
 berrimæ fluant lacrimæ die ac nocte, percutere Domine percutere obsecro  
 hanc durissimam mentem meam pia & valida cuspide dilectionis tuæ &  
 altius ad intima penetra potenti virtute, qui vivis & regnas in sæcula sæcu-  
 lorum Amen.

Obseruat D. Chrysoftomus olim Matres filios suos in nuptijs collo-  
 nasse, cuius moris æmula synagoga, non pia mater, sed potius impia & fe-  
 rox noverca Christum filium suum mirabili serro coronavit: & hoc qui-  
 dem in die desponsationis eius, de quo carmen illud nuptiale ad filias Sion  
 bonasque mentes, iam inde à sapiente transmissum: *Videte, inquit, filie  
 Sion. Regem Salomonem in diademate quo coronavit eum Mater sua in die despon-  
 sationis illius.* De hacigitur corona primum occurrit cuius generis fuerit & cu-  
 ius arboris? sunt qui iuncos marinos hic usurpatos censeant, ita Tolerus,  
 Pererius & alij: plerorumque tamen omnium sententia est fuisse sercum  
 è rhamno, ita Baronius, Gretferus alijque communis: & hoc suadet, 1.  
 quod in Palæstina frequens esset hoc veptium genus, plenum aculeis &  
 ericio simile. suadent 2. huius serri fragmenta, tum quæ Romæ seran-  
 tur in Basilica S. Crucis, tum quæ Parisijs in sacello sacro, tum quæ in His-  
 panijs in cœnobio de spina, tum quæ Lovaniij in collegij Societatis Iesu  
 templo. Suadet 3. quod rhamnus spinosus frutex longe facilius in coronam  
 & quasi in pilei formam aptari potuerit, quam marini iunci, utpote lon-  
 giores & cedere necij. Verum tamen ut se habeat, ut res ea adhuc est in lite  
 & sub indice: hoc extra litem & controversiam, spinas illas, è quibus Sal-  
 vatori in texta est corona, fuisse & longas & acutas instar crassarum acicu-  
 larum, atque ejusmodi sunt ea coronæ fragmenta, de quibus supra men-  
 tionem feci. Quam autem gravis & pudenda una cum spineo serro Chris-  
 to ignominia sit imposita, facile iudicari poterit, si comparemus exem-  
 plis & alibi gestis. Egerrimè olim talit Philo quam vis Philosophus, nec  
 concoquere potuit, quod Flaccus Alexandria Præses dissimularit Agrip-  
 pam Iudæorum Regem à plebecula & pueris quamvis absentem irrideri,  
 fuit autem ea ludificatio sic adornata: Carabas homo stultus pervias ob-  
 errans in Gymnasium ab eis vi pertractus est. Huic primo coronam char-  
 raceam imposuerunt, & pro sceptrum fragmentum arundinis dextræ infe-  
 ruerunt; deinde ludicrum Regem loco spectabili statuerunt deniq; Ma-  
 rin (hoc est Syriaca lingua) Dominum salutarunt. Et hoc ad iniuriam, or-  
 dium, & dedecus Agrippæ, quem sciebant esse natione Syrum. Hoc, in-  
 quam, factum pro alio, iniquissime tulit Philo, quod immanis videretur in-  
 iuria, Cæsarum amicum, & à senatu honoratum adeo procaciter irrideri.  
 Sed ò Philo, quanta est illa quam tibi fingis, ignominia? & quam remota à  
 tuo Agrippæ? Erat Agrippa pusillus homuncio, è luto malefictus, perdi-  
 citusque moribus; at Christi maiestas immensa, bonitas infinita, sapientia

inexhausta, lumen increatum, & forma substantiæ Patris æterni, verbo uno Deus. Erat Agrippa Cæsaris amicus, senatui Romano gratus: at Christus non Dei amicus, sed filius, non à senatu, patribusque conscriptis in honore habitus; sed à tota superum Regia, à cœlestibus intelligentijs, à beatorum omnium curia eo cultu exceptus, qui Deum decet, ac Dominum universorum,

Agrippa in homine stulto, & sui quodammodo simulacro, & quidem absens deridicule habitus: at Christus in seipso & sæde irritus & ignominij eruentis appetitus, quantum non ista distant?

Agrippa deniq; in persona amentis charracea corona per ludibrium redemitus: at Christus ipsemet corona textus spinea, & crudeli ferro instar alicuius ludicri Regis, quem non modo milites Romani, sed & Pontifices Iudæi adstantes irritetunt. Et hoc non censebis immane probrum? censebis certe si æquus rerum æstimator esse velis, servi olim (quod notavit Gellius) vendebantur sub corona, quæ tunc erat signum mercis venalis, uti Colonia fasciculus straminis, alibi aliud quidpiam, & quis scit, an non etiam ideo corona talis imposta sit Domino, ut veluti mancipium venale ridendus propinaretur, qui à Iuda proditore emptus, ab emptoribus repudiat, à gentibus quoque reiectus est, quantum in ipsis fuit.

**O** Milites, vos quidem impletis scripturas quæ de Christo erant, verumamen vobis, qui in ludibrio aliorum habetis lætitiã, ingeniosi estis ad vexandum, sed erit ingeniosior qui vos puniat mensura conferta & coagitata & supereffluente nisi grandem egeritis pœnitentiã.

§. 113. Imposuerunt capiti eius. v. 2.

Venio ad sensum doloris, ingentemque cruciatum sub quo genuit Christum miserabile caput ut fatiscere debuisset nisi eum vis altior ac divina sustinisset. Est caput in homine membrum omnino Princeps, & in eo cerebrum, veluti fons & origo tenerrima nervorum, musculorum, sensuum, ac sensationum omnium; ideoque in eo quam maxime viget sensus tactus, & quod inde consequens est in eo præcipue sentitur dolor & punctura etiam levissima.

**H**is ita constitutis, quis non videat, quantus dolor, quantusque cruciatus Christo Domino illatus? cum spinea corona caput ipsum textit instar pilei; cum alte infixæ spinæ, & per ipsum verticem, per tempora & frontem effusa fuerunt de ijs sic B. Brigittæ locuta scribitur virgo Mater, huius

L 2

lanie-



laniens optima testis l. 4. revel. c. 70. Tunc inquit corona spinea capiti eius ar-  
 distime imposita fuit, qua ad medium frontis descendeat, plurimis rivis sanguinis et  
 aculeis infixis decurrentibus per faciem eius, & crines, & oculos, & barbam replen-  
 bus, ut nil nisi sanguis videretur: nec ipse mo astantem cruci videre potuit nisi sangui-  
 ne expresso per ciliorum compressionem. Nimirum in sanguinis stagno nata-  
 bant & prope mergebantur oculi, oculi inquam laci dios sole, imo nat-  
 centis Ecclesie gemina sidera, novique soles, qui patiebantur Eclipsin  
 ram à lacrymis, quam à sanguine, deciduo, veluti effusa & interposita  
 nube.

**O** Amaram, & gravem, & prodigiosam nubem, quæ deinde doloris rē so-  
 luta sese exoneravit in sanguineos & cruentos imbres: quid tamen  
 imbres appellem, qui de Christi vertice, fronte & oculis per genas, per ora  
 per pectus per corpus omne descendunt, & terram irrigant, imbuuntque  
 sanguineo rore! Ecquid enim aliud expectari potuit ab ea corona, quæ di-  
 vino capiti profunde fuit impressa? Certe ex sententia D. Chrysostomi à  
 spineo sero Christi caput mille locis transfossum est, quod ipsum confir-  
 mat D. Bernardus tractatu de Passione Domini, mille, inquit, puncturis spe-  
 siosum eius caput divulneravit. Quæ sententia mihi sane verosimilis videtur,  
 et si enim cum opinione communi daremus illud in corona spinea nume-  
 ratas spinas duas supra septuaginta non plures: nihilominus diceremus ab  
 illis longe plura sacro Christi capiti impressa vulnera, puncturaque longe  
 plures. 1. Dum tenero capiti aptatur iterum iterumque ei circumduci po-  
 tuit. 2. Ab una spina aliud atque aliud vulnus infligi: denique quia dum  
 cruci affigiendus exiit, ei una cum veste extracta corona, iterumque per  
 summam petulantiam atque immanitatem fuit imposita: adeoque alia  
 atque alia sine lege sine modo indita à spinis vulnera, quæ dum oculo ani-  
 moque morerente spectas, dic age, dic Christiane cum Tertulliano, Christus  
 Iesus qualis, oro te, serum pro utroque sexu subit: Ex spinis in figuram delictorum,  
 quæ nobis protulit terræ carnis, dic cum Hilario. In istis spinis est peccatorum acu-  
 leus. Vere enim ut ait Augustinus, Corona spinea capiti eius imponitur, quia punctio  
 peccatorum aridis tribulis comparatur. Studeamus nunc è diverso ut membrorum vitæ  
 capiti sit corona. Dic etiam cum S. Bernardo: pudeat sub spinosa caput mem-  
 brum fieri delicatum.

S. 114. Et veste purpurea circumdederunt eum. v. 2.

Nec satis fuit illudisse Iesum in corona spinea, debuit & in veste &  
 dolore regio illud, in confusionem illorum qui luxuriantur in vestibus leu-  
 quo ad materiam, seu quoad formam: vel assumendo supra id quod sol-

vere possunt, vel eorum decet statum: nec vulgare sane fuit tormentum, regia insignia & ornamenta, quibus non raro maiestatem alij Reges ostentant, Christo in improprium, confusionem, ludibriumque fuisse collata? scimus equidem velamina sanctuarij in Veteri Testamento purpurea fuisse: tentoria Holofernis purpurea. Item Ioseph in Regia Pharaonis vestitum purpura. Item Ionatham in die nuptiali purpura indutum fuisse, omnesque insuper purpura ante adventum Christi vestitos, quos honorari decebat.

**S**ed quid hoc est, Domine Iesu? quid factum, quod illa purpura, quæ olim tui decus erat sanctuarij, & qua templum exornare tuum consueveras, modo omne genus opprobrij notet in corpore tuo dilecto? an forte purpura hæc ætenuis salum habuit honorem, & tu eum vis mundo detegere, & in posterum veram purpuræ æstimationem propalare? si hoc non, nescio quare te purpura sic indui sinas, credo igitur quod hoc demonstrates purpuram &c. ornamenta, seu imperialia, seu regalia, ex se nullam asserre dignitatem, sed prout æstimantur ita valere, plane uti calculi in tabella calculatoria apud arithmeticos alium valorem accipiunt, si in lineola unorum, collocentur quam si in denorum linea; & alium, si in centenorum collocentur linea; Ponis purpuram in aliquo qui fatuus habetur, ridicula est: ponis in aliquo, qui timetur, veneranda evadit. Planè ita pretia rerum ab æstimatione humana dependent, noli igitur in illis intrinsicum & innatum valorem arbitrari, sed adventitium mihi Christiane, alias hæc purpura fuisset Christo honestamentum quæ tamen à Iudæis causa ignominia fuit arrogata, sed tamen in magnum evadet honorem, per hanc patientiam Christi, non tincturam quam habet à purpurario.

*S. LXV. Et veniebant ad eum. v. 3.*

Turba sceleratorum militum, quos per se nequam satis Sacerdotes & Pharisei sceleratiores effecerant pecunia, quo magis magisque ludificarent Regem cælorum, iam purpuratum chlamyde, iam spinea corona redimitum, iam totum conspersum & rubricatum sanguine contusum & vulneratum. Quomodo autem vendebant? Utique uti cæteris in actibus suis illusorio, quasi novi Regis gratiam prensarent, quasi gratulaturi, novum honorem quasi nova officia Regni merituri, vel empturi.

**O** Christiani accedamus & nos sed alio animo & modo ad Iesum atque à flagellatione & coronatione sedentem in throno ridiculo, imprimis osculo commiserationis aspiciamus, tum exemplo S. Augustini rogemus

L 3

dicens

dicentes. *Quis te Domine Iesu adeo crudeliter flagellavit. quis tam in humanitate  
ronavit spiritus? Curque ab illo acceperimus: peccata vestra: dolereamus pecca-  
ta nostra. plangamus ingratitude, rorem sanguinis eius cadentem pe-  
tamus in abolitionem omnium criminum doctorum.*

§. 116. *Et dicebant: Ave Rex Iudaorum. v. 3.*

Iam patet, quo animo illudores isti veniebant nempe perulanti flexi-  
que genibus deridicula eum adorantes dicendo: *Ave Rex Iudaorum*, aliaque  
profundas reverentias, cum inepta manuum gestulatione facere incipi-  
unt, quam maxime contumeliose poterant.

**E**cce quam indignis modis excipitur Rex gloriae, ludibrium & oppro-  
brium hominum factus, ut & insatiabilis vanitatis nostrae tumorem  
luderet, & veræ humilitatis exemplar daret! *Nonne Deus requirit istar? Mentis  
igitur nunc, pijsime Domine, ad pedes tibi accidimus, non cum impijs  
illis illudentes, sed cum veris Iudæis amorem & misericordiam tuam in ro-  
gia maiestate nitentem confitentes, dicimulque Ave Rex Iudaorum, Ave mus-  
di redemptor & Domine Dominorum: Tu rex gloriae Christe: tu Patris sempiterni  
filius: tu ad liberandum suscepturus hominem non horruisti virginis uterum: non dubi-  
tasti manibus tradi nocentium, & amarissime Passionis subire tormentum: Tu Domi-  
nus excelsus, terribilis, rex magnus super omnem terram, regna tu in nobis Iesu, ne pro-  
catum regnet in mortali nostro corpore, nec quidquam imperij in animis nostris adpre-  
sarius, regni tui perduellis, arripiat, amen.*

§. 117. *Et dabant ei alapas. v. 3.*

Cum multa ironice ac derisorie peccerent, atque offerrent & interro-  
garent Regem illum novum, & ille more suo omnia toleranter silentio  
transmitteret tum demum se irasci simulantes, ceperunt Dominum vellere  
care coma &c. corpore: quasi dormire? & sensim ad maiora progres-  
sentes etiam alapas dabant quasi munera plenis manibus seu palmis abhe-  
rent.

**O**detestanda crudelitas! si hanc paulisper & cætera supplicia horrenda,  
quæ passus est Dominus contemplaretur homo, sane emollire posset  
cor suum etiam si esset quasi saxeam vel marmoream.

§. 118. *Exivit ergo iterum Pilatus foras & dicit eis: Ecce adduco vobis eum foras. v. 4.*

Indignabundus ex inhumana tractatione Iesu Innocentis, eo quod  
videbat in eo non speciem hominis, sed magis similitudinem excoriatæ ali-

eius bestię, ita ut nulla sanitas appareret in eo à planta pedis usque ad verticem capitis, ex multitudine plagarum, per flagella, colaphos, alapasque factarum, & oblimatarum per sputa & spineam coronam impressam sancto capiti, ex quo undique sanguis pendeat & cadebat in terram. Magis tamen indignans crudelitatem Iudæorum, qui se ad tam gravem verberationem decernendam compulissent. Quid igitur ait Pilatus ita exiens: Ecce adduco eum foras ad vestrum iudicium nam in meo iam discussus non apparuit nocens, in meo absolutus est, & absolutionis sententiam in eo scripti sic, ut non solum ab omnibus legi possit, sed & sententia mea debeat probari, etiam ab infestissimo hoste eius.

**H**eu, Heu! Domine Iesu; quam fœdum, abominabile & execrandum est peccatum, cuius gratia omnistibi deperijt gratia, & vultus tuus (quem tamen prædictum est deprecaturus omnes divites plebis, omnes reges terræ) quā à vilissimis hominum est deformatus! Ecce tu pulcher es, sed deformatus; vere speciosus præ filiis hominum & formosus, sed peccatis, ut sputis, hominum deformatus, non solum enim conspuerunt in te, verum etiam execrarunt te. Comprobatum video quod aliquando dixisti, *Quæ procedunt de ore & de corde exeunt, ea coinquinant hominem*: de ore enim & corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, turba fallæ testimonia, blasphemie: hæc sunt bone Iesu sordes vulnera & sputa quæ coinquinant homines moraliter, & horum imagines, vultum tuum delectabilem tam horrendè deformatunt. Pater sanctissime Deus qui propter scelus populi tui dilectum filium tuum flagellis impiorum percussisti & sputis deformasti, ita ut non esset in eo vel sanitas vel species, tu sanguinei rotis ex eius corpore promanantis gratiam cordibus nostris infunde, ut nunquam per peccata super dolorem vulnerum eius addamus, sed ut filij dilectionis, in flagella parati, in patientia animas nostras possidere mereamur.

§. 119. *Vi cognoscatis quia in eo nullam invenio causam. v. 4.*

Si enim causam invenissem in Iesu, quam non inveni, eam iam satis emendatam cognoscere potestis, lege civili satisfecit, quæ uni causæ unam tantum decernit pœnam & hic præter legem humanam & divinam multis modis, uti videbitis, panitus est, est enim flagellatus supra modum, percussus in infinitum, colaphizatus, & alapis oneratus, dilaceratus scorponibus, virgis, loris, uncis, catenis: ita ut non appareat in eo species hominis, tritus per vestem regiam, arundineum baculum coronam spineam caput per-

perforantem ut undique defluat sanguis, præter vulnera innumera in corpore, ita ut mors naturalis ei potior foret, quam ita miserabiliter esse tractatum; Quare iam æstimo, ô Principes Iudæorum, vestræ petitioni satis factum, ut dimitti possit, qui plus pœnæ sustinuit, quam peccasse dignoscitur: Ita Pilatus loquitur, qui est vir habens auctoritatem publicam, cui omnino credi debet, cum inimici Domini conquirendo testimonia etiam falsa agnoverint se conveniens ad tale supplicium invenire non potuisse, & coram Pilato accusantes, nullum articulum verosimilem potuerint proferre, sed volverint, ut Pilatus cæce addiceret eum supplicio Iudæis collibito ob causas quas Iudæi scirent, ipse scire non deberet.

**O** Christiani, etsi in hoc spectaculo & iudicio debeamus gemere super iniquitate, quæ in eo exercetur contra Dominum nostrum & Deum, habemus tamen etiam unde gaudeamus, tam nempe illustrem fuisse Christi innocentiam, ut quocumque se gentiles & Iudæi converterent, nocentem invenire non potuerint: sed ipsi fateri debuerint esse innocentem. O Deus, gratias ago tibi, quod tam patenter fecisti apparere veritatem ad nostram fundandam fidem, roborandam spem, & accendendam caritatem. Corroborâ ô Domine, animam meam ac tuæ fortitudinis ac protectionis muni præsidio, quo ita sui ipsius evadat Domina, v. quando veteris Adami senserit inordinatus motus, consentiat tamen nunquam sed servet innocentiam Christianam. Comprime Deus meus omnia membra sensusque meos, linguam præcipue quæ non potest sine gratia esse innocens, sed ex se est indomita & ignis exardescens, origo & fons magnorum malorum. Fige Domine meum in tua luce intellectum, affectum in amore, & conforta cor meum ne terreatur adversis, neve prosperis insolentat. Posside Domine me ne unquam exequendis ijs, quæ tibi sunt grata, frangat, adversisque deficiat.

§. 120. Exiit ergo Iesus foras portans coronam spineam & purpureum vestimentum. v. 5.

Contemplor hic 1. Pilatum & eius ministros productores Christi. 2. Ipsum Dominum foras prodeuntem. 3. Populum foris expectantem, & in his singulis mirabilia conspicio. In producto Iesu meram innocentiam & gravissimas pœnas, inexpectantibus plerisque culpas gravissimas sine pœna, in producentibus aliquid mixtum. Productus exiit totus nudus solum chlamyde cinctus purpurea, exiit foras in theatrum ut videretur eum populi sui, exiit ut eum videndq sui miserarentur, & fleerentur, ad

penitentiam, exiit ut appareret vulnorum suorum enormitas & copiosa sui sanguinis effusio, ut videntes multi post resurrectione crederent in eum prædicantibus discipulis: stabat autem humilis Iesus in theatro positus in signum coram tota multitudine populi, non tantum militaris insolentia, sed odij & malitiæ infernalis Dæmonum, & Iudæorum, & cui tunc ab omnibus contradicebatur, qui tamen peccatis nostris debitas pœnas in se exhibebat ut nos ab æterna confusione redimeret. Advertamus itaque ingenti cum compassione, quam miserabiliter illic Dominus steterit veste tectus contempribili ac deridicula, item spinea corona, sceptrorundineo, crucis vulneribus, membris attritis, horribili ac squalido corpore, ac forte etiam ex frigore tremebundo certe stillante sanguinem: Aspiciamus etiam interno cum dolore amabilem vultum eius in quem desiderant Angeli prospicere, ut miserandum in modum immixtus affectum plagis, & tumidum, lacerum, sanguine pariter ac carne mixtis coloratum, phlegmatibus scedum, ita ut humanam pene speciem amiserit. Quem ista non movent, ferro & adamantino durior est. Consideremus insuper dolores pungentium spinatum, & sacrum caput penetrantium, & dicamus non attendentes ad Iudæorum vesaniam.

**O** Preciosum unguentum, quod è capite Mystici Aaron descendit in barbam & in oram vestimenti eius. O Iesu fac in nos stillas huius sacri cruoris defluere. serua nos, ne unquam in nobis ista species tua deficiat, ut ea specie muniti armemur aduersus peccatum.

§. 421. Et dixit eis: Ecce homo. v. 5.

Breve verbum, sed infinitum sensum habens audio. Quid est enim Ecce homo? 1. Christus non Iudaico ritu 40. vel 39. ictibus sed Romano, sine numero, seruorum instar flagellatus, totum corpus lacerum ostendens, 2. spinis coronatus plane inuisitato more, imo barbarico. 3. Inuisitate purpuratus, & cuius, quæso animum seruum non emolliret ista species? Ea propter ait Pilatus: Ecce homo, quasi dicat, videte hominem non hominem, quia sine specie aut figura est hominis ob distantionem, videte eius castigationem & deiectionem, videte eum nihil minus esse quam Regem, nec timeat quod regium ambire possit sceptrum, & honorem post tam multiplicem laniam & illusionem, si ergo homines estis, iam eius miseris conamisereri debetis ac placari.

**O** Pilate, tu bene fecisti ita dicendo postquam ita cum illo egisti, & Iudæi, sic agebant. Vere tamen totum hoc spectaculum est miserabilissimum

M

enim

mum, & dignum omni memoria æternitatis, quia exhausti non potest, si-  
 ve Christi patientiam, siue Iudæorum spectemus insaniam. Maneat ergo  
 frequenter picta ista Historia in oculis nostris representetur indies nobis  
 in sacrificio. dum Sacerdos sanctam & consecratam modo coram popu-  
 lo elevat Hostiam, audiat tunc anima auditorum *Ecce Homo*, & Sacerdos  
 elevans dicat mente: *Ecce homo*, nihil illo aptius eo tempore dici vel cogita-  
 re potest Christianus homo. Dicamus 1. Deo Patri ecce homo iste est uni-  
 genitus filius tuus æqualis tibi in gloria, humanitate minor, sed pro nobis.  
 Dicamus, Sanctissimæ Matris eius: *Ecce Homo*, natus ex te, tractatus sic pro  
 me. Dicamus 3. Angelis, *Ecce homo*, quem annuntiastis, cantu honorastis,  
 & cui ministrastis, videre quomodo eum tractantur homines, sed nolite  
 irasci hominibus quibus ipse sic placatus fuit. Dicamus 4. *Ecce Homo* &  
 Adæ filij Adæ! Homo qui venit quod rapuistis exsolvere quique langu-  
 ne suo irrigaturus est novam arborem vitæ, ut fructum vobis reddat pe-  
 ennaturum tota æternitate. Dicamus 5. *Ecce Homo* & Patriarchæ & Pro-  
 phetæ, de quo tot pronuntiastis oracula, quemque tanto opere desiderastis  
 intueri. Sed videte an sit ille quem nominastis. Desiderium collium æter-  
 norum, quemque expectastis, desideratum cunctis gentibus, qui adeo mi-  
 serando & ignominioso habitu est vestitus, an sit ipse de quo Iaias pronan-  
 tiavit: Non est ei species neque decor; vidimus eum, & non erat aspectus,  
 & desideravimus eum despectum & novissimum virorum, vitum dolo-  
 rum, scientem infirmitatem, & quasi absconditus vultus eius & despectus,  
 unde nec reputavimus eum. Dicamus 6. *Ecce Homo* & Apostoli, quem seculi  
 estis vocantem, sed infideliter deseruistis inter manus inimicorum agen-  
 tem, à quibus sic atrociter tractatus est. *Ecce Homo*. O Petre de quo tunc di-  
 cere poteras: *Non novi hominem*. Dicamus 7. Sacerdotibus Christianis. *Ecce*  
*homo*, qui vos vestiti iustitia, sic. irrisoriè vestitus propter iniquitates vestras  
*Ecce homo*, quem representatis per stolam in collo, per manipulum in bra-  
 chio, per vestem candidam ad pedes usque descendentem, per planetam  
 variegatam, per coronam in vertice, per cingulum in pectore. Videte, ut  
 eum imitari valeatis, non solum exteriori amictu, sed etiam interiori puri-  
 tate & castitate, zelo quoque & charitate. *Ecce summus Sacerdos*. Di-  
 camus, 8. *Ecce homo*, & Magistratus & Iudices, qui sic à Magistratu & Iudice  
 iniquo inique & atrociter est tractatus. Ipse interim est homo ille & filius  
 hominis, qui sedebit in sede Majestatis suæ, ut iudicet orbem universum  
 cinctus Angelis & hominibus, iudicate ergo nunc sicuti tunc iudicari opo-  
 raris. Dicamus 9. *Ecce homo*, & Peccator, cuiuslibet existas conditionis,  
 ecce is qui cum in forma Dei esset, amore tui factus est homo, ut tu reus  
 fieres

fieres Deus seu divinæ confors naturæ. *Ecce homo*, qui ad hoc venit, ut te immergeret in balneo & piscina sanguinis sui, sicque sanitatem recuperare ab omni infirmitate, ita ut ultra non possis dicere quod paralyticus, *Non habeo hominem*. *Ecce homo* qui ulterius ad hoc tibi datus est ut viam ostendat qua in cælum itur, viam humilitatis & patientiæ, viam charitatis & obedientiæ, viam quoque austeritatis & pœnitentiæ. Tua eum sic transfigurant peccata, tua coronavit superbia, denudavit avaritia & luxuria sic plagis confecit, ira & impatientia tua illum vexavit, nec tamen in satisfactionem aliud exposcit à te quam lacrymam unam compunctionis & pœnitentiæ, optat ut eam coniungas cum fluente cruore ex omni corporis eius parte. Dicamus postremo *Ecce homo* ò voluptuosi & delicatuli, ò aulici & aulicæ, ò viri & mulieres, qui ob cincinnos vestros, intortosque crines, tot in fulgida sua Cæsarie perpeffas est dolores, per vellicationem impiorum, & spinarum involucrum, *Ecce homo*, qui ob fucatam & perpolitam faciē vestram tot in vulu suo horridis spūis, est conspurcatus, & ob corpora vestra delicate cum luxu nutrita, corpus suum vobis ostentat tot livoribus tumens & tabescens, *Ecce homo* qui ob ambitiosas vestras vestes purpura deridicula voluit vestiri.

**Q**uam caro ei constat vestra in vestitu curiositas, vestræ delitiæ & libidines? Quid ad hæc responderis toti vanitati & voluptati huius sæculi dediti, vos favoristici fulgente plumis pileo caput exornatis & Redemptor vester non nisi rubo tegitur & spinis. Vos barbam varie pectinatis, politis & in formas nescio quas non aestatis, & ecce propterea redemptori vestro crines accerbis evelluntur doloribus, & spisso cruentantur sanguine. Caro vestra putrida undique bisso resplendet & auro, eius vero caro undique incisa rubescit maximo cum cruciatu, attendite ergo & videte, eum qui propter vos omnia hæc patitur & nemo interim vestrum illi compatitur. O inhumanitas & ingratitude deploranda.

§. 122. *Cum ergo vidissent eum ministri & Pontifices. v. 6.*

Speraverat Pilatus Iudæorum odium & furorem Christi plus iusto atrocissime flagellati exhibitione placandum, quandoquidem & ludibrium afflictioni tantæ coniunctum eum redderet miserandum potius, quam invidendum: ideoque ad populum se converterat, sperans se illius favore Iesum à capitis periculo liberare posse: neque illum spes optime concepta fefelleret super liberatione Christi, nisi Pontificum versutia populum seduxisset, videntes enim eum ministri & Pontifices magis exarserunt,

M 2

runt,



sunt, quemadmodum Elephantes ostendo sanguine. Ecce tibi serpentes novos quos non est fas incantare, Basiliscos videlicet, qui macula in capite velut diademate insigniti, etiam solo sibilo fugant serpentes alios & afflatu necant frutrices teste Plinio lib. 8. c. 21. Tales erant Pontifices sacerdotum & Seniores diademate sacro seu tiaris redemiti, & quia tales, Principes inquam, & Seniores nulla ratione humana poterant incantari, ut sententiam mutarent, etiam nocentissimo, & quasi innato, invidia veneno pleni, eius afflatu infecerunt etiam plebem, & suo sibilo cedere sibi fecerunt populum universum. Sed qui fieri potuit ut populus induceretur ab illis in tam rursam & manifestam culpam? Primo suorum Principum auctoritas praesertim cum ad malum ducunt, & rursus quando tantum furore agunt: si enim Pilatus panico illorum furore correptus est, ut non auderet facere quod volebat, quanto magis populus? alterum poterat esse argumentum quod Christus non esset de hoc mundo, si enim de hoc mundo esset, mundus quod suum est diligeret: nunc autem odio eum habet: licet initio blandiatur quamdiu ei benefeceris, ad extremum tamen te deseret & expellet, quemadmodum Dalila Samsonem prius delinitum blandiis, postea a se repulit & Philistaeis tradidit.

**O** Infatiabiles odij animi! o peccata tygribus truculentiora! *Esse homo,* inquit gentilis ille praeses: Considerate Iudaei si quid hominis in ipso videre est, in quem summa iam deservit inhumanitas, si forte commiseratione aliqua commoveamini, nihil hominis, sed plus ferae canibus agitatae referens, oppletus opprobrijs, minoratus vilissimoque mortalium magis exinanitus.

§. 123. *Clamabant dicentes: crucifige, crucifige eum. v. 6.*

Iterum perversus ordo iudicij, Accusatores dicunt Iudici sententiam: imo imperant & Iudex hoc sinit & audit cum prohibere possit. Quis hoc ordine iniquus? Dominus tamen toleravit in se, ut disceremus ab ipso esse mites & humiles corde, cum mundus furit & sisti nequit.

**F**la Christiani nolite nimium agrefcere, si videatis in loco iudicij iniquitatem: sed scitote quia haec omnia adducet. Deus in Iudicium ibi examina buntur Acta omnium saeculorum & iudiciorum. Si hic oppressi estis subinde, ibi relevabimini.

§. 124. *Dicit eis Pilatus: accipite eum vos & crucifigite. v. 6.*

Cum videret Praeses ad spe & aculum mirabile, tragicaeque crudelitatis

is non moveri posse Iudaeorum Principes, nec preces suas curare, nec te-  
 sse etiam illum vel sua vel Christi personae tanti benefactoris habere, aut  
 solemnitatis festorum Paschatis: obstupuit praeses. Quomodo Iudaeorum  
 populus & maxime Principes ita truculenti essent, ut, cum nulla in Christo  
 causa inveniretur, tam turpi morte crucis ipsum occidere vellent. Hac de  
 causa quasi contemptum indignatur ac dicit: accipite eum vos, ac crucifigi-  
 te, non ego impietatis caedis minister ero; Nolo praeter Romanorum leges in-  
 nocentem occidere? Ego clamoribus vestris territus in me facinus deri-  
 vem: Nolo, si scelus vos esse in hac causa non putatis, si malum esse non ar-  
 bitramini, Vos ipsi qui legis divinae scientiam habere iactatis, crucifigite,  
 eadem hanc parate, impietatis huius crimen in capita vestra vertite: sit Iu-  
 daica solum ista temeritas. Si lex est apud vos quae summo in fontes suppli-  
 cio cruciet, vos soli hoc facite: ego in id non consentiam, cum sum tantum  
 ad hoc Iudex constitutus, ut nocentes poenis afficiam: Erga hunc inno-  
 centem nullum mihi ius competit: Esto vobis videatur reprehendendus  
 esse quod se dixerit Regem, vel dici sit passus, est etenim eo sensu Rex, quo  
 se dici passus est, nec id regnum vel Caesari vel vobis obest, cum sit regnum  
 veritatis & intelligentiae & bonorum morum. Nonne multo magis praesta-  
 ret in vestra solemnitatis fauorem eum, a morte liberare, quam talibus  
 tormentorum generibus affectum ad crucem damnare. Sed quid Pilatus hic  
 audiebat? Verba odij, furoris & detractionis plena: cui ergo rei rectius  
 populus hic quam mari magno assimilari potest, quod videtur modo tran-  
 quillum, modo turbulentum & omnibus ferme horis pro ventorum im-  
 petu huc & illuc agitur, variari: & sic visum est consilio divino, ut Iesus  
 omnis gloriae fons & author ad hoc veniret contemptus, ut etiam seditio-  
 nis posthaberetur, & in crucem ignominiose adigeretur: sed cur hoc suppli-  
 cium a Patre in eum permissum fuit? 1. ut nos imposterum a peccatis po-  
 tenter abstereret, si enim Deus ira saevit in filium innocentem, quomodo  
 non saeviet in servum impenitentem? 2. ut peccatoribus clarissime pateret  
 copiosam esse Christi redemptionem, pro omnibus mundi peccatis abo-  
 lendis.

**O**bscuro igitur te pie Iesu, ut veram mihi pro peccatis meis infundas con-  
 tritionem, cor meum lapideum emollias ad compunctionem, accen-  
 das ad devotionem, oculis meis tribuas lacrymarum abundantiam, ut no-  
 ste & die plangam iniuriam & contumelias, quas tibi irrogavi & innume-  
 ra peccata quibus offendi te, Domine Deus meus. Ne quae so retribuas mi-  
 hi secundum den. erita mea, sed secundum infinitam misericordiam tuam.  
 Nec intres in iudicium cum servo tuo: sed statue obsecro hanc acerbissi-  
 mana

mam passionem tuam inter iudicium tuum & miseram animam meam, & que peccata mea: Et quidquid merentur iniquitates meae, excuset hoc acerba mors tua, diluat pretiosissimus sanguis tuus. Da mihi etiam clementissimae Deum ut sic abnegem propriam voluntatem meam, adeoque me vilissimam & submittam, subter te Dominum meum, & creaturas omnes propter te, ut in fundo meo non solum agnoscam, sed etiam sentiam & vilissimum & indignissimum me esse creaturatum: sicque voluntate sum religatus ac si in me mea voluntas esset abnegata & defuncta. Amen.

§. 125. *Ego enim non invenio in eo causam. 7. 6.*

Iterum audio innocentiae Christi testimonium, & quoribus hoc audio toties laetor, quia intelligo me certissimum habere medicum, cum nihil in eo audio reperiri morbum vel dolorem.

**O** Domine, quanto solatio tibi fuit hoc verbum audire, tantum cruciatus attulit contra audire te nihilominus ad mortem postulari & quidem tam turpem & indignam, & paulo post ab ipso met illo, qui testabatur illam innocentiam, te crucifigi? Eia igitur Domine adiuva me, illum in oculos mentis meae, ut capiam, me omnem dolorem interiore & exteriori satis promeruisse, firmam spem concipiendo, quod gratiam tuam obtinere possim, ne anquam in desperationis foveam incidam, quantumcunque etiam peccaverim. Nam miserationes tuae sunt super omnia opera tua.

§. 126. *Responderunt ei Iudaei: Nos legem habemus, & secundum legem debet mori. Quia filium Dei se fecit. 7. 7.*

Arroganter satis Praesidi respondent, ut eum terrent, quem videbant sancti ad misericordiam & aequitatem, allegantes legem suam, quam hoc loco manifestè pro praetextu usurpant, ut Pilatum decipiant. Si dixerent: nos Passionibus invidiae & superbiae Passionibus agitamus, Scripturae sunt nobis lex, verissime respondissent, nunc dicentes: sacram Scripturam Legislatore positam habemus, & secundum illam debet mori, manifestè fallunt. Quia quod illa prophetice dixit de Christo, isti mali interpreti praetextive exponunt, quod permissive narratur futurum imperative dictum volunt.

**E**cce Christiane, sic etiam contra Christum ipsum Iudaei pugnant sacrae Scripturae praetextu, noli igitur tibi persuadere quod omnes dicentes

Verbum Domini, Verbum Domini, statim eo ipso sint ex parte Christi, etiam Antichristiani scripturam usurpant, usurpabat illam utique Marcion, hereticus, & usurpant eam Calvinista & usurpant Lutherani, item Catholicici. Sed aliter hi, aliter isti, quæ volunt, intelligunt & exponunt, Marcion legens apud S. Lucam: *Hoc est corpus meum*, uti Tertullianus refert, exponebat sic: *Hoc est figura corporis mei*, quia verum corpus à Christo assumptum esse nolebat. Exponit idem Calvinista eodem modo, sed alia intentione, quia videlicet Deum posse unum corpus duobus locis collocare, non vult cum Catholicis tenere. Ecce ita scriptura torquetur ad affectus exponentiam hereticorum pariter & Iudæorum. Noli igitur sequi affectus tuos sed sequere Magistrum veritatis Ecclesiam, quæ ad hoc accepit Sp. sanctum, ut infallibiliter eam bene exponat.

§. 127. *Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem magis timuit. v. 8.*

Dicitur hic Pilatus timuisse magis: itaque subindicatur quod iam ante timuit. Quid igitur & quare antea timuit? Vtique homines istos, qui sibi occlamabant & minabantur de Casare, & de legibus suis, nisi Christum occideret quid igitur nunc evenit, propter quod magis timet? incipit timere Deum & iustitiam eius vindicativam. Si enim filius Dei esset ille quem ad mortem damnare compellebatur, utique incurrere iram illius se videbat, qui eum genuerat, Deus. iram autem Dei portare quis posset qui hominis iram formidamus. Ecce cur Pilatus magis timuit.

O Iesu sancte, innocens, impollute, à peccatoribus segregate, da nobis tuam sanctitatem colere intrus & exterius profiteri. Tu optime docuisti nos quem timere debeamus non hominem vel homines, qui occidere possunt corpus, sed eum qui occidere potest & corpus & mittere in gehennam, hunc timeamus, & ut timeamus confige obsecro timore tuo carnes nostras.

§. 128. *Et ingressus est prætorium iterum. v. 9.*

Cum videret Iudæos magis magisque tumultuare, nec haberet ultra quid eis pro Christi defensione respondere posset, etiam novus articulus accusationis proferretur, quod nempe se filium Dei iactasset Christus, anxius iterum introivit prætorium, ut ex Iesu captivo suo exploraret, quid subesset ijs, quæ recens audierat ex Iudæis, de filiatione Dei, & potuit fieri ut Pilatus putaret vera esse quæ apud Romanos in Metamorphosi Ovidiana leguntur, de varijs filijs Deorum Iovis, Apollinis, Martis &c. & ideo crederet, ne forte talis Deasti filius esset, & illius iram incurreret. Cum

**C**um intueor Pilatum huc illuc discurrentem, modo foras procedentem ad Iudæos, modo ingredientem in prætorium, modo surgentem et tribunali, modo rursus sedentem videre mihi videor Rebeccam parturientem, doloribus coangustatam; ut enim in eius utero collidebatur Iacob & Esau parvuli, dum alter altero prior lucem aspiceret nitebatur; ita in animo Pilati collidebantur Christus & Iudæi; illius innocentia, hæc pro violentia; illa Christum absolvebat, hæc vero condemnabat. Conabatur quidem Pilatus præ Iudæis eniti Christi liberationem; sed prævenit Esau populus Iudæorum, Christo fratri suo adeo infensus. O si ita anxius fuisse præles Pilatus ob metum Iudæorum, ne eos offenderet, neve per eos accuteretur apud Romanorum Imperatorem, de non administrata Iustitia, ad voluntatem eorum impiam? quantus tremor est futurus, olim quando Iudex est venturus cuncta stridete discussurus, & turbæ mirum spargens sanguinem per sepulchra regionum coget omnes ante thronum! ille erit verus unguis quo clamabitur *Montes cadite super nos ne videamus faciem furoris Domini.* Væ misero mihi, cum venerit ille dies Iudicij & aperti fuerint libri conscientiarum & cum dicetur de me, *Ecce homo & opera eius*, quid faciam tunc?

**D**omine Deus meus, cū cœli revelabunt iniquitatē meam & adversus me terra consurget, & ego nihil respondere poterō, sed demisso capite præ confusione, & angustia coram te stabo trepidus & confusus. Tu ergo miserere modo ne desperem, & si ego commisi unde me damnare potes tu non amisisti unde salvare soles & potes. Tu enim Domine non vis mortem peccatorum, nec lætaris in perditione morientium, sed ut mortui vivere tu mortuus es & mors tua peccatorum mortem occidit.

§. 129. *Et dixit ad Iesum: Unde es tur. 9.*

Non ex corde ficto vel falso, sed sincere cupiens certior fieri hac interrogatione de eius origine, & maioribus, de qua domo vel familia prodierit. Altissima sanè quæstio est, si bene expendamus, Generationem enim eius quis enarrabit? non est ipse similis fictitijs Dijs, aut Deorum filijs qui est candor lucis æternæ, speculum sine macula, filius æternus proles æqueva parenti, figura substantiæ patris! filiusque talis qui ex substantia patris æqualis illi in essentia & divinitate, in gloria & majestate, semper genitur, semper genitus est, sapientia è patris mente in æternitatis monte, inaccessibili humano intellectui, semper procedens.

**O** Bone Iesu tu unde sis, forte non capiunt Angeli, quomodo caperet homo Ethnicus? tu es Deus de Deo, lumen de lumine, Deus verus de Deo

Deo vero genitus non factus, consubstantialis patri per quem omnia facta sunt. Da mihi sedium tuarum afflictricem sapientiam quæ mecum ut, mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit coram te, da ut tuam maiestatem non scrutari desiderem supra captum meum, ne obuiar à gloria; sed humiliter credam & adorem omni tempore, & loco, ut saluet.

§. 130. Iesus autem responsum non dedit ei. v. 10.

Incapax Pilatus erat ad hæc sublimia intelligenda, & hoc propter tria, primo quidem, quia Pilatus homo gentilis erat, & Idololatra qui Christi æternam generationem capere non potuisset. 2. Quia suam Passionem impedire nolebat, solum enim crux sibi restabat. Si enim edixisset: unde esset, quo patre & matre natus & quomodo, absque dubio non cruci sed glorie throno fuisset additus.

O Iesu impone obsecro frænum linguæ meæ, ut non solum ab illicitis & inutilibus verbis absteineat, sed licitis etiam & utilibus utatur prudenter. Et quoniam difficile est feram hanc mea virtute mitescere, & serpentis huius venena excantari, eam tu Domine comprime, tuaque gratia purifica ut ea refrænata, recolligatur & quiescat in te cor meum. Fac me profundissimum sanctissimumque illud tuum silentium imitari, quo & ab iniquo Iudice calumniis & falsis accusationibus impetitus, tanquam mutus os non aperuisti, nec te exculare, nec mortem responso tuo impedire voluisti. Et quando me loqui fuerit necesse fac me omnes leges & circumstantias requisitas observare, atque ita proloqui, ut verba mea tibi imprimis placeant, animam vero meam non lædant, aut scandalizent proximum. Amen.

§. 131. Dicit ergo Pilatus: Mihi non loqueris? v. 10.

Pilatus ignorans quare Iesus sileret ad interrogatum suum, silentium eius qua potuit instantia rumpere studuit, austerius dicens: *mibi non loqueris iudicis tuo, Romanorum Præsidi summa in potestate constituto, cui ius gladii in hac Provincia concessum est. cum tu econtra egeas opera mea.* Ad quæstionem tamen unde esset, responsum Christus non dedit Pilato, propter fortissimas causas, quas Dominus habebat, & nos conijcere possumus maximas, cum Pilatus suammet interrogacionem ipse non intelligeret. Quomodo enim tunc caperet responcionem.

Domine Iesu, indignatur Pilatus quod non respondeas ad istam interrogacionem *unde es tu?* Sed ipse nesciebat quid quærebat, & tu explicare

N

care

care ei tam operosam rem non tenebaris, quoniam Pilatus de causa tua cognoscere debebat, non de origine, quæ cognitio facta erat in descriptione orbis sub Augusto, & repetebatur in censu, cum opus erat. Hinc dicitur quod nec ad omnes quæstiones respondere debeamus sed ad eas, quæ ad rem sunt, alias melius tacemus, cum Christo.

§. 132. *Nescis quia potestatem habeo, crucifigere te. v. 10.*

Principatus sui potestatem, quasi virgam, Pilatus intentat, cuius formidine impelli Christum posse ad responsionem opinatus est. Possit igitur se sive punire velit, sive absolvere, & potestatem hanc in se solo fixam esse asserit, quasi ergo taciturnitate Christi despectus, indignatusque terret & silentii rationem non intelligens elicit.

**V**ere ignorans es tu Pilate, miser & miserabilis, qui nescis & non agnoscis modo eum à quo accepisti potestatem hanc tuam, mediantibus tamen Romanis, Tiberioque Cæsare, stat hic quidem humilis & abiectus & despectus modo Creator ante Creaturam, Dominus ante servum: at paulo post gloriosus auferret à te omnem potestatem, de qua gloriaris mediantibus ipsdem tuis promotoribus, ut morte turpissima præ confusione te ipsum perimas: si sapias cito convertere ad Dominum Deum tuum, qui modo submitit se tuæ potestati, & noli eum condemnare, sed dimitte innocentem, quem agnoscis, ne potestati eius quandoque subijciaris iniustus, & vindictam simul de tua iniustitia.

§. 133. *Et potestatem habeo dimittere te. v. 10.*

Potestas sumi potest pro iure ac autoritate arbitrij & pro viribus seu fortitudine in exequendo, & de alterutra vel utraque sane iactabat se Pilatus, neutram tamen habebat harum independentem sive primam causam spectemus sive alias secundas causas uti est Imperator, vel Senatus Romanus. Pulchre in hoc Pilato manifestatum est ingenium rationis humanæ in donis Dei, qui enim donis Dei insignitus est, & tamen fide caret, non agnoscit ea esse dona Dei, sed uti proprium suum esse inueter. Proinde putat sibi in his licere quidquid libet. Fides autem docet hominem donis sibi divinitus collatis non fieri Dominum, sed servum & ministrum, & quo maiora dona quis acceperit, eo maiori servituti obnoxium esse. Hinc Christus: *Reges gentium (ait) dominantur*, de potestate sua superbiunt, & abutuntur pro sua libidine. *Vos autem non sic; sed qui maior est vestrum sit sicut minor, imo minister.* Modicum sustine Pilate, & intelliges quantam habas

beas potestatem ad dimittendum, nam ad crucifigendum te habere potestatem clare demonstraſti. Sed hoc est magis habere imbecillitatem, si enim habuisti potestatem ad dimittendum, cur quod ita quaesisti non fecisti? cur ita timuisti? ut te modo huc modo alio converteres, quasi parturienti, & ecce non poteras. Dominus autem, qui nunc infirmus sub potestate tua tenetur, non sic, sed sicut fortis egredietur, vociferabitur & clamabit; Tacer modo & silet. postea loquetur ad te in ira sua, clare tibi dicens, quod nunc interrogas: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion: & quid respondere poteris? tunc silebis tu & tacebis, non audens quidem musitare praeter angustia cordis.*

Hic finis omnium praevicantium legem puram quam dedisti eis. Deus nolentium subjici tibi, qui currunt erecto collo adversus te Domine, in visceribus peccatorum sedet superbia, regina vitiorum, ut ambulat in magnis & mirabilibus super se: hoc grande malum facit homines oblivisci conditionis suae, & maiora se ambitiosissime quaerere, quo saepe cum Lucifero ex alto in immum intelicitatis praecipitantur. studeat ergo quisque se illi conformare, qui odit omnes qui operantur iniquitatem & quod iustum est iuste exequatur nisi suo malo perire velit.

Deus in cuius manu corda sunt regum, Principum, Iudicum & in potestate constitutorum, inclina ad preces nostras aures misericordiae tuae, & Regibus, Principibus, Iudicibus & Potentatibus nostris, famulis tuis, regimen appone tuae sapientiae, ut haustus de tuo fonte consilii & tibi placeant & super omnia in virtutis maiestate praecellant.

§. 134. Respondit Iesus: non haberes potestatem in me ullam nisi datum sibi esset desuper. v. 11.

Quia ergo Pilatus male iactabat se habere potestatem super Christum, ideo erudit eum dicens: *Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi datum tibi esset desuper, id est a superioribus videlicet a Deo patre permissive, & a Romano Imperatore commissive, & sic duo interrogantis Pilati vitia duplicis iudicio virtutis retundit Dominus, primo mansuetudine, qua velut molli lana inflatam Pilati obiurgationem excipit. Secundo charitate, qua ignorantem instruit, ad mentem ei reducens, unde potestatem quam habet acceperit, adeoque non nisi ad iudicandum id quod iustum est, esse valentem.*

**I** Deirco Audite reges & intelligite discite Iudices finium terra, praebeate aures vos qui consinetis multitudines, & placeatis vobis in turbis nationum. Quoniam data est

N 2

à De-



à Domino potestas vobis, & virtus ab altissimo, qui interrogabit opera vestra & cogitationis scrutabitur, quoniam cum essetis ministri regni illius, non iudicatis nec cupidistis legem iustitiae, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrende & cur apparebit vobis. Quoniam iudicium durissimum his qui praesunt fiet. Exiguis enim conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur. Sed & tu Domine, libera animas nostras de manu tribulantium nos, & qui gloriantur in virtute sua & potestate sibi à Deo concessa, quia non est alius qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus noster, trahe illos post te, illucesce cordi Turcarum, Moschorum & Hæreticorum & Schismaticorum, ut commissum sibi populum benigne regant, iuste disponant, & iure pietatis modificent, non gloriantes in lemeuphis.

§. 135. Propterea quia tradidit tibi manus peccatum habet. v. 11.

Pergit docere Pilatum, quod peccet si innocentiam condemnet sua potestate, & non liberet: maius tamen habere peccatum, qui tradiderunt se Praefidi innocentem ad crucifigendum ex invidia & avaritia, uti Iudas proditor, & Principes sacerdotum, Scribae, & Pharisei, illi enim origo & fons impietatis fuerant. Pilatus autem ex formidine ministrum Iudæorum se praebat, ergo tam qui tradidit, & proditoris conscij, ac mortis ministri fuerunt primi, quam Pilatus qui accessit, peccarunt, licet multo gravius alijs alij peccaverint.

**A**udite hunc Doctorem Stoicæ Philosophiæ item hæreticæ sectatores, qui audeatis docere omnia peccata esse æqualia: discrimen illud peccatorum in mortalia & venialia esse fictum. Audite quid Christus dicat, doceatque Pilatum in Prætorio, si ei non vultis credere docenti in templo.

§. 136. Et exinde quarebat Pilatus dimittere eum. v. 12.

Quia pulchre monuit Christus Pilatum, quod peccaret, quamvis maius foret peccatum Iudæorum ex odio immani procedens: & quia suboluit Iesum esse aliquid supra homines alios, & suam sensit repressam præsumptionem in eo, quod dixerat se potestatem habere tam crucifigendi quam dimittendi Praefes animum ad iustitiam reflexit, à qua iam recesserat ad hoc castigando & dehonorando captivum innocentem, quamvis illa resipiscencia Pilati, nescio quid timiditatis admixtum habeat, in eo quod dicitur, quarebat. Vide interim mi Christiane pulchrum exemplum gentilis, qui à captivo, in conspectu omnium, admonitus officij, monitionem hac de re dominicis verbis affligi non iussit, aut contumeliosis saltem

verbis

verbis in eum debachatus est, pro ut alius crudelis magistratus facere potuisset, qui irrogatam sibi contumeliam non tam pugnis quam evaginatiss gladijs vindicari iussisset? nihil autem tale hic video; sed inventus est tanta moderatōnis, ut multo cupidius quam antea occasiones Christum dimittendi perquisierit, omnes quoque vias attentaverit quibus illum liberum dimittere posset. Erubescat igitur quisque crudelis, qui in proximum e commoveretur, quod ab eo recta agere monetur: sed imitari Pilatum studeat, qui quamvis à Christo captivo esset reprehensus opportunitatem tamen quærebat, ei benefacienti ac dimittendi.

**O** Quam cito ego irascor ad leve verbum vel bonam & iustam admonitionem! quam longe absum à perfectione hac Pilati Idololatræ!

§ 137. *Iudæi autem clamabant. v. 12.*

Adversus hanc Iudicis æquitatem pertinaciter, non criminum probationibus, sed insanis vociferationibus, flagitant Iudæi, ut crucifigeretur Iesus, & locuti sunt adversus eum lingua dolosa, & sermonibus odij circumdederunt eum, clamores enim illi quid aliud sonabant, quam odium, de quo, non semel, sed aliquoties planxit Dominus apud David, dicens: *pro eo ut me diligere, & detrahebant mihi: & posuerunt adversum me mala pro bonis & odium pro dilectione mea:* quasi diceret, dilectionem erga me exercere debebant, isti autem tantum odium exercuerunt.

**D**omine Iesu Rex pie & sapiens Deus meus cum traditus es omnem patientiam præbuidisti, non clamaisti, nec in plateis aliquis te clamantem audivit: habeam ergo & ego silentium illud, quietem & pacem, ut vincam minas, & tribulationes omnes in patientia, ne de me habeat occasionem querulandi unquam inimicus meus coram te.

§ 137. *Dicentes: si hunc dimittis non es amicus Cæsaris. v. 12.*

Non ignorabant Pontifices Scribæ & Pharisei multos apud Imperatorem Tiberium atque Augustum Reges, Præsides etiam innocentes accusatos fuisse damnatos, privatos officijs, morte etiam punitos, ideo dicunt ei, ut sibi prospiciat, ne tanquam innocentem hunc Christum, illis autem inimicum, dimittat, ne forte cogantur Præsidem accusare apud Cæsarem, quod magis sit Christi Iesu amicus, quam Cæsaris, forte etiam Pilato perduellionis erimen intentabant, qui regni affectatorem, spe præmiorum, in Provincia Romana Cæsaris filico addicta tolerasset, imo contra Provinciales accusantes defendisset.

¶ 3

O dia

**O** Diabolicum inventum! quo miser Pilatus, carens fide divina, ita est excæcatus, ut iam non inclinaretur, ut ante, sed plane prosterneretur, miser & miserabilis homo, inter tantas angustias deprehensus, & non habens lumen supernaturale, quo adiutus, ex illa naturalium argumentorum violentia emergeret. Non dico Pilato defuisse gratiam, sufficientissimam & necessariam, sed video eum gratiam minorem neglexisse cum qua operatus si fuisset maior neutiquam ei defuisset. Felices Christiani, qui in baptismo nullis suis meritis eo promoventur, quo iste prudens præses sine baptismo in ætate a deo adulta non pervenit.

S. 139. *Omnis enim qui se Regem facit contradicit Cæsari. v. 12.*

Si astitisssem ego in hoc Iudicio, dixissem cum eruditis: Nego suppositum quia Christus non faciebat se Regem, sed natus erat Rex, à patre constitutus ab æterno, cæli & terræ Dominus proclamatus à pueris Hebræorum in die triumphalis ingressus sui in Hierusalem, sed nec si se faceret Regem, eo titulo contradiceret Cæsari terrarum orbis, quia interrogante præside: *Ergo Rex es tu?* respondit Iesus: *regnum meum non est de hoc mundo*, si ergo regnum eius in quo Rex est Christus, non est de mundo quomodo contradicebat Cæsari, seu Romanorum Regi cum ipso tempore Romæ toleraretur & esset Rex sacrorum, ut constat ex historijs Romanorum, etsi enim isto tempore, & secuto per 300. annos, usque ad Constantii Magni baptisma, Imperatores Romanorum se Pontifices maximos vocabant, ut constat ex eorum rescriptis & nummis, tamen Pontifices minores & Reges diversi instituti, veluti Regem mensæ seu convivij &c. pluribus modis tolerabantur. Sed & hanc propositionem non fecerunt Principes Iudæorum amore Cæsaris, quem pessime oderant, & adversus quem frequenter seditiones movebant, sed odio Christi, Cæsaris nomen prætexunt astute, quo libidinem suam in Christo expleant: & hæc tamen ratio comminatoriæ tantæ fuit efficacis, ut qui nondum viderat gladios aut hastas corrueret Præses.

**V**ide Christiane, quam imbecillis est virtus hominis tantum civiliter iusti: præmemoratas virtutes secum habere comites Pilatus tandem perit, quamdiu non audiebatur nomen Cæsaris: statim veto ut audivit, *hunc dimittis non es amicus Cæsaris*, tantum abest ut hæc virtutes cum eo constiterint, ut cito omnes conciderint. Quid ergo vanius confidente in virtute sua tam modica, ut in illa, sine auxilio Dei quod gratia dicitur ad horum punctum stare non possit. Bene David Domino dicebat: *Non iustificabitur in*

conspicuum tuo omnis vivens. Igitur ut valeant virtutes vel infusæ, vel ex frequentatis actibus acquisitæ nobiscum stare, ad Christum omnium bonorum largitorem semper confugiamus, postulantes ab eo, ut merito suæ passionis intercedente in conspectu Dei Patris constemus. Vide etiam Catholicæ quam sint his Iudæis affines nostri temporis Reformati & omnes eorum collegæ à fide Catholica Apostatæ, hi zelum præferunt ingentem Cæsaris, Regum, Principumq; crederes esse homines ex cohorte pratoria, seu corporis custodia, scribunt libros & Tomos pro potestate sæculari, contra Papam contra Episcopos, contra sacerdotes, & quorsum hæc omnia? Prætextu illo confodere nituntur Ecclesiasticos, ut illis exosis factis, & sublati, prædicantes in eorum locum exaltentur? quid deinde? Hoc postea Reges & Imperatores & senserunt aliquoties, & porro experientur, nisi sibi prospiciunt contra illas Apocal 9. coronatas locustas, quæ ex puteo æbyssi per Lutherum aperto emerferunt.

S. 139. Pilatus autem cum audisset hos sermones. v. 13.

Scilicet, si hunc dimittis non es amicus Cæsaris. Trepidavit ubi tamen verè non erat timor: quid enim Imperator Regem hunc curasset, qui solus semper cum duodecim discipulis incedebat, per omnia humilia transiens! Quid Iudæi accusando poterant Pilato nocere! Cum Christus legibus Romanorum non contradixerit, tulerit censum, didrachma solverit, vectigalia non inhibuerit, quæ Dei sunt Deo, & quæ sunt Cæsaris Cæsari reddenda constituerit, paupertatem elegerit, obedientiam suaverit, mansuetudinem prædicavit. Hoc est verè non impugnare Cæsarem sed adiuvare, quo modo etiam nunc & semper Ecclesia Romana Reges & Principes adiuvit & iuvat. Non ignorabat Pilatus vanissimum esse prætextum illum Iudæorum peritum à Cæsare quia iam informatus erat sufficienter. Attamen quod consensum omnis Pontificij ordinis prospiceret in mortem Iesu mirè propensum, insuper implacabile populi odium, & Iesum esse hominem tam abiectum, ut videretur vermis & non homo, qui etiam sibi ipsi deesse videretur: etiam audierat apud Cæsarem plurimos falso crimine petisse: ideo putavit quod adversus coniuratos Pontifices & populi Seniores pro tuenda hominis abiecti & verè humiliati innocentia fati resistisset: quare hominibus magis, quam iustitiæ placere cupiens, animum eo flexit, ut odio Pontificum inserviret, metuens ne à Principatu injiceretur.

**P**Rò dolor! Iudæorum & Cæsaris gratiam præposuit iustitiæ, adeoque gratiæ Dei & ecce utramque istinc perdidit Pilatus, & utriusque iram  
*hic*

binc incurrit, nam & à Deo desertus & à Cæsare relegatus est, ut scribit Orosius. Imo tantis irrogante Caio Cæsare angoribus coarctatus est, ut sua se trant verberans manu, malorum compendium mortis celeritate quæsiverit. Ita nimirum omnes qui Deo & iusticiæ contempto, mundo placere volunt, & mundum & Deum perdunt. Sit ergo nobis in exemplum Pilatus iste, qui non consideravit, quod impietas hominem è periculis liberare non solet, sed in eadem aut alia graviora præcipitate; ut edo & exemplo eius iniustitiam non operemur, aut velimus placere, mundo magis quam Deo, ne in eadem vel graviora animæ & corporis pericula incidamus.

§. 140. *Adduxit foras Iesum. v. 13.*

Qui iam dimittendus videbatur ob singularem suam innocentiam teste ipso Iudice Pilato, qui publice sæpe dixerat Pontificibus & populo Iudæorum, nihil in eo se invenire, vel peccati, vel causæ mortis, ad voluntatem modo illorum, qui foris expectabant, tanquam canes rapidi, ad sententiam mortis audiendam adducitur ligatus, fannis & vulneribus undique defœdatus, spinis coronatus, humilis letus per Carpifices præcedente Pontio Pilato Præside, impietatis suæ ipsomet teste.

**O** Arundinem vento agitatâ! Ecce Dominum Deum tuum anima fidelis tam misere procedentem & immanissimis acutum penis. Quælo, imaginem hanc maxime miserabilem, tam alte nostris imprimamus pectoribus, ut nulla unquam oblivione è nostra memoria deleatur, & ne deleatur ex memoria, adiuventus eam imagine oculis conspicua, uti SS. D. N. Alexander VII. suo exemplo monstravit, qui Colonia vilam olim sacram imaginem hanc Christi sic miserabiliter producti, ab inde An. 1696. Romam ad se mitti voluit, ut quam in sectione calculi habuerat pro solatio, in Pontificatu summo haberet pro incitamento. Sentire etiam licet, Christum Iesum (qui spiritum suum nunquam ab orandi agendique studio relaxabat) dum ministri illum foras ad iudicium ad mortis sententiam traherent, humiliter corde, oculis in cælum ad Deum Patrem erectis obtulisse eidem dignissimum sacrificium Passionis suæ ad conciliandum eum humano generi, his vel similibus verbis.

**O** Pater cœlestis æterne Deus, cœli terræque nec non creaturarum omnium conditor, te oro, te obsecro qui semper me audis, suscipe nunc sacrificium & oblationem unici filij tui, id est accerbissimam Passionem, infontemque mortem meam, quam modo ex amore pro cunctis mundis

scribit

sceleribus & culpis pari desidero: Neque enim venio in conspectum tuum cum sanguine alieno, id est pecorum, sed per proprium sanguinem meum, quem fundo in pretium & satisfactionem pro debitis deperditi hominis. Aspice quæso sancte Pater humiles preces meas, laborem, & dolorem meum, & ipsam hanc durissimam Passionem meam, propitiusque suscipe à meritis mortem meam, pro cunctorum mortemortaliū in Adam promerita. Vertatur obsecro. ira tua in elementiam, & aperi perditio homini portam cæli, quam illius ob culpam tot annorum millibus penitus occlusisti, desque per paternam misericordiam tuam locum in regno tuo sempiterno, ut per eum ruina angelorum instarentur impleaturque domus tua, & nomen sanctum tuum prædicetur ac benedicatur in omnia sæcula sæculorum, Amen.

§. 141. *Et sedit pro tribunali. v. 13.*

Postquam adductus est letus nova iniuria & maiori cum ignominia per Lictores foras è domo Pilati ad iudicium in conspectum omnium occidentium se, solitum ascendit tribunal præses quid acturus? quid pronuntiaturus? anne defensurus Christi nocentiam? an captivum liberaturus? vindictam soluturus & desolatum ab omnibus consolaturus? minime gentium, ne forte per primores Iudæorum dilatione facta periclitetur apud Cæsarem, & tuo privetur officio, contra propriam conscientiam, legem naturæ & ius gentium conabatur quidem externe argumentis quibuldam defendere, & liberare se à vitæ periculo; interne vero timore victus & ambitione, morte turpissima condemnare Christum, licet innocentem, in favorem & petitionem Principum Iudæorum. Unde licet magnam de Christo opinionem concepisset, plus tamen apud eum valuerunt sermones de Cæsare, quam illi quos prius audierat de Christo, & propter quos simulerat esse filium Dei.

Quam multi eodem modo hodie etiam gratiam hominum curant magis quam Dei; ita ut hac abiecta impietatem committere non vereantur propter gratiam hominis conservandam! Quam multi virtutem abdicant, ut hominum obtineant gratiam! Eia Domine, is quantum peccata mea causarunt mortem tuam, in tantam da mihi ea in posterum odisse, ut te ita redemem, sicuti me prior amasti, nec tui amoris in perpetuum obliviscat.

§. 142. *In loco qui dicitur lithostrotos, Hebraicè autem Sabbatbo. v. 13.*

Hic locus erat locus Iudicij, suggestum lapideo opete instructum, quod

quod etiam pavementum diversorum colorum multum decorabat, more Romano in altum exaëdificatum, ad commode iura danda Provincialibus. Hunc locum ita exaggeratum circumstant canes sitientes sanguinem feræ, quæ ex silvâ æternitatis excurrerat in has terras, ignotaque erat terræ canibus, & ideo non æstimata.

**O** Pilate, vis tu serio hanc insolitam in terris speciem, quæ cæli delictum est, sed terræ abominabilis fera, liberare ab ore & moribus canum istorum, male facis quod eum in conspectum illorum perducas, hoc enim est irritare. Potius debebas occultare, non in suggestum, sed in cryptam oportebat te ipsum demittere, ut invenire non possent: sed tu volens ipse met mutari cum Iudæis in talem canem laceratorem, vel venatorem, talia facis.

**O** Anima mea aspice tu aliter hanc cœlestem speciem in sublimi loco, non invidia sed divino ardens amore, aspice intima compassione & affectu dilectum tuum. Tu per voluptatem peccasti & Christus magnis cruciatibus luit pœnas tuas: tu concupiscentijs carnis & sanguinis oblectatus & Christus carnem & sanguinem suum pro tuis erratis ac sceleribus, tam inhumanis tradidit pœnis afficienda; Clama igitur ad Deum tuum nec cesses, ut tui misereatur, pœnitenti corde ex nunc & in perpetuum dicens; Domine ne in futuro arguas me, neque in ira tua corripias me.

§. 143. *Erat autem parasceve Pascha. v. 14.*

Sexta scilicet dies septimanæ, quæ vocabatur parasceve, hoc est preparatio, nam tunc Iudæi præparabant omnia ea, quæ necessaria erant sive in victu, sive ornatu, pro altera die, quæ erat Sabbatum, quam celebrare solemniter solebant iuxta præceptum Moysis, ab omni opere vacando. Neque solum erat parasceve Sabbati, in Hebdomade tunc currente, sed etiam parasceve Festi annalis & summi, quod dicebatur Pascha, quo olim Iudæi erant liberati ex Ægypto, per immolationem agni in Ægypto immolari, & idcirco erat quasi duplici titulo parasceve, scilicet titulo Sabbati sequentis, & titulo festi in Sabbatum idem incidentis. Quod enim fuerit Parasceve Sabbati seu Feria vi. constat ex traditione Ecclesiæ, quæ tenet Dominum die veneris esse crucifixum, & Dominica surrexisse; & quod fuerit Parasceve Paschæ, hic in textu clare asseritur. Vnde constat, non in Festo Paschæ, sed pridie Paschæ Dominum esse passum, nempe xiv. die primi mensis Lunariorum, quo ipso die agnus typicus immolabatur, & ad vesperam assatus comedendus erat à Sacerdotibus & Iudæis, qui propterea mane nolue-

voluerant ingredi Prætorium quo puri agnum vesperi manducarent, nam xv. dies Festus erat ut constat ex Levitico. Potest hic locus dirimere multas lites Chronologorum, si rectè expendatur, ego verò Iudæorum hypocritin hic mirari non desino, qui se, occidendo agnum verum, non horrent contaminare, & ad typicum tanto studio præparare, seu Pascevem celebrare.

**O** Deus concede fidelibus tuis, ut quando ad agnum verum Paschalem, te nimirum in S. Eucharistia sumendum, volunt accedere, bonam & solidam & non hypocriticam faciant Pascevem, præparent se eo modo quo Thomas de Kempis libro 4. de imitatione ostendit. Præparent se uti Paulus Apostolus tuus monstravit. præparent se uti multi fideles faciunt in orationibus multis, ieiunio, elemosyna, culpatum deprecatione, confessione, satisfactione, reconciliatione. Hæc est vera & Catholica Pasceve, & corpore & anima se disponere, omni, qui personæ illi mortaliter possibilibus est, modo.

§. 144. *Hora quasi sexta. v. 14.*

Iam determinavit S. Ioannes diem anni & mensis & Hebdomadis, in qua passus est agnus Dei, nempe diem Paschatis Pascevem quæ sempererat die xiv. mensis primi & Pascevem Sabbati quæ erat semper feria vi. nunc ergo etiam horam determinat qua magnum de Christo & horribile factum est iudicium, quo vitæ author demnatus est ad mortem, Salvator ad interitum, Deus à creaturis suis cruci addictus & Iustitia æterna suspendenda inter latrones est visa. Sed quænam illa Hora sexta? Matutina, an Vespertina? Neutra, sed meridiana hora: quomodo hoc? quia Iudæi solum xii. horas diei habebant. Io. 11. Noctis autem horas 4. seu vigiliis Luc. 12. Marc. 6. & istæ horæ dierum inchoabantur à solis exortu, Matth. 20. & alibi & proinde longis diebus longas horas brevibus breves numerabant, semper tamen sexta in meridiem incidente.

**D**omine Iesu Christe, fili Dei vivi, qui hora diei sexta pro salute humana ad tribunal Pilati adduci & in iudicio fisti voluisti: Da mihi sæpe tribunal mentis meæ conscendere, & me ipsum de culpis meis conscientia testimonio districtius iudicare. Iudicium quoque tuum in adversis tam patienter subire, ut in iudicio tuo extremo valeam securus astare, Amen.

§. 145. *Et dicit Iudæis: Ecce Rex vester. v. 14.*

Pilatus, ut Iudæos ad commiserationem iterum commoveret, &



de monstraret afflicti regni crimen in Iesum non competere, qui per  
 teris omnibus modesta animi simplicitate pollebat, dicit: *Ecce Rex* *isra-*  
 quasi diceret: quid est magis miserandum isto homine, tantis afflicto tot  
 amentis & fide conputo, & unde quaque vulnerato? quis hominem tot  
 calamitatibus obrutum crederet in posterum capi posse libidine in alios  
 dominandi? Ecce in ludibrium Regis ornatu indutus, corona spinea in ca-  
 pite verticem perpungit, non pallio regis, sed vili lacerna, purpuratus vul-  
 neribus per totam corpus; ita est in doloribus, ut quisque hominum potius  
 eligeret mortem, quam vitam vivere tam acerbam, & si vitam donetis ex-  
 iultua, quia ego cum innocentem invenio, ex concussione & tot vulneri-  
 bus vivere diu, non potest, quare miseremini eius, qui si peccavit, se Regem  
 nominando, satis superque iam punitus est.

Talialoquebatur Pilatus, ego & fidelis qui vis mecum interiri ita cogi-  
 gitemus: Ecce per has tamen irrisiones sibi Christus promeruit exaltatio-  
 nem super omnes Reges: nobis autem veram promeruit sapientiam, & ve-  
 stem immortalitatis: sceptrumque gloriae aeternae gestandum in caelis.

**O** Pater amantissime, quid est homo, quod sic eum amas, ut tam vene-  
 randum, tam bonum, tam dilectum filium pro impio ac damnato pec-  
 catore manibus tradideris nocentium? quod propter scelus populi tui tam  
 dire eum percussisti? Et quomodo paternum cor tuum admittere potuit, ut  
 in gratissimum filium tuum, qui nunquam fecit contra voluntatem tuam,  
 peccata & omnia debita plebis tuae imponeres, ut calicem amaritudinis  
 & irae, quem nostra peccata conflaverant, totum simul in ipsum effunderes  
 ut eum in tanta afflictione relinqueres, ac velut exulem & hostem abjice-  
 res. & nos, qui inimici tui & ipsius eramus, in amicos & adoptionis filios  
 promoveres! quam absorptum, & erga hominem amore quasi ebrium esse  
 cor tuum, ut non attendas quanta patiatur unicus tuus!

*S. 146. Illi autem clamabant: Tolle: Tolle, Crucifige eum.*

Horresco recogitans solum, non audiens clamorem illum horren-  
 dum, quo non humaniter perebant, sed luporum instar rapidissimorum  
 ululabant tolle, tolle, non enim dignus est nostro aspectu, & minus gra-  
 tiam consequatur, aut vivat. Rex noster non est, usurpare vult regnum no-  
 strum, nos non agnoscimus modo regem amplius, sed Caesarem, quem ta-  
 men odio habemus, sed illius nomen nequitiae nostrae pulchrae praeteximus  
 ut devinciamus te Praesidem ad sententiam mortis proclamandam.

*Nolga*

Nolumus hunc regnare super nos, & si forte ipse prober se vere super nos regnare; ecce nos communitas eum deponimus, abdicamus, tibi in manus tradimus, & iubemus te ut ministrum iustitiæ pro nobis auferre eum de terra viventium; perdere, mactare, crucifigere, sub terra sepelire.

**O** Spectaculum! in cœlis Angeli & Archangeli, throni & dominationes, principatus & potestates Cherubim & Seraphim, virtutesq; cœlorum ipsi seruiunt, ipsi proclamant incessanter *Sanctus, Sanctus, Sanctus D. Deus Sabaoth, pleni sunt cœli & terra gloria tua; Rex regum & Dominus dominantium;* & homines in terra eidem acclamant, *Tolle, tolle, crucifige, crucifige.* Res obstupescenda est nimis.

§. 147. *Dicit eis Pilatus: Regem vestrum crucifigam? v. 15.*

Quid horribilins dictu, quid magis repugnat naturæ, vel Dei præcepto, quam superiores suos iudicare & quidem ad supplicium, & tale supplicium! Hoc tamen potuit facere Iudaica invidia, & nuper imitari Calviniana perfidia. Horrui Pilatus, & suismer auribus audiens sceleratos non credit, sed quasi falsus esset audiendo, interrogat, an bene intellexit, quid vellent.

**O** Christiani Catholici, attendite & videte, qui his Iudæis similes sint. Illi qui potestatem contemnunt & blasphemant, an qui etiam dyscolis obediendum esse dicunt, Deus meus oculos meos ad te converto, & in spiritualibus me Pontifici tuo in terris vicario, & Episcopis eius adiutoribus ac sacerdotibus subijcio, & eos honoro. In temporalibus vero Imperatori, Regi ac Principibus ab eo constitutis, nolo eos iudicare, nolo eos taxare, nolo eos inter se concitare. Nemini cupio aliquid derogare & in alterum ut transferatur optare. Da eis Domine sapientiam & iustitiam, qua populos subiectos sibi regant sic ut cum ipsis perveniant ad regnum æternam, quod crucifixus pro nobis promeruisti nobis.

§. 148. *Responderunt Pontifices, non habemus Regem nisi Cæsarem, v. 15.*

Quia populus dictum Pilati, videbatur apprehendere, & moveri ob crudelitatem in talem personam, quam ipsi pridem eligere volebant in Regem; & quem pueri Hæbreorum regem Israel ante paucos dies clamaverant, & cum summa solemnitate, ramis Palmarum, vestibus stratis per plateas introduxerant in urbem; imo ob multitudinem beneficiorum, quibus obstricti erant, & eius magnificentiam considerando fiebant

O 3

clin-

elinguēs impetum faciebant Pontifices, qui quærebant animam eius, Præ-  
sidi acclamantes: *Non habemus Regem sed Cæsarem*, qua voce de cordibus po-  
puli de Christo concepram opinionem proscripserunt, ne Iesum Regem  
agnoscerent, alias offenderent gravissime Cæsarem credidit populus Pon-  
tificibus, & calce regnum Dei protrivit, & ad principatum Cæsaris trans-  
fugit. Quare non iniuria manibus Cæsaris traditus, incoherabilis belli cala-  
mitatibus est una cum his consultoribus pessimis involutus. Quia enim  
concorditer negaverunt regnum Dei, dimisit eos in suum iudicium inci-  
dere, & regno Christi refutato, id quod Cæsaris est, super se ipsos incum-  
bere.

**D**omine, ut video & audio, non est nova res, quod homines suo genio  
indulgentes, solum sæcularem Magistratum agnoscant, putabam ego  
hactenus, quod hoc esset recens inventum Lutheri & Calvini, qui omnem  
iurisdictionem Ecclesiasticam seu papatum abrogaverunt; at nunc video  
& audio, quod hoc impij Iudæi prius fecerunt, qui ut regnum spirituale  
seu Ecclesiasticum Christo auferrent & à se removerent, contentissime  
clamaverunt: *Non habemus Regem nisi Cæsarem*. Veruntamen una adverto,  
quod ipsi semetipsum non negent esse reges, sed hoc taceant, donec per præ-  
textum Cæsarij nominis & Procuratorem eius Pilatum everterint, Christi  
regnum, tunc ipsi bene convenient cum Cæsare, an ipse sit eorum Domi-  
nus, uti nunc prætexunt, & præferunt. Videbimus postea rebellionem  
iporum contra Cæsarem, sed & gravem manum eius ipsos obediens &  
compellentis.

§. 149. *Tunc ergo tradidit eis illum. v. 16.*

Magna vis est hoc loco 1. in *Tunc ergo*, refert enim se ad priora acta &  
tempora, quasi diceret; antegresso tempore, Pilatus tenebat in Domino  
tenorem iustitiæ, & ab uno molimine ad aliud progressus est, ut liberaret  
Dominum, sed sensim iniquitati alicui implicatus est, maioriq; paulatim  
donec involutus est totus toti, involutus est autem toti, quando audivit se  
non posse esse amicum Cæsaris, nisi damnet Iesum, sive cum ei dilemma  
factum est: Aut Cæsaris hostis sis, necesse est, aut hostis Iesu, dediti tibi, ut  
iam elige, utrum malis. Ibi frustra est fortitudo eius, quæ potuisset frangere  
dilemma, dicendo: Et Cæsaris amicus & Iesu ero amicus. Cæsar enim non  
vult, aut saltem nolle debet iniustitiam, quam nec Iesus probat. Sed ut di-  
xi, cecidit Pilatus. 2. Magna etiam vis est in Verbo *Tradidit*, quid est tradidit?  
Intelligo sic: Pilatus Christum habuit utpote sibi traditum ad iudicium.  
Ipse contra eis tradidit ad supplicium tale, quale hostes insensissimi tradito  
opta-

operabant. 3. Magna vis est in *eis*, refert enim in memoriam homines, qui antea sic acclamant, qui nocte antegressa fecerunt in eo quæ voluerunt. Denique vis est in vocula demonstrativa *illum*, qui antea sic depictus itabat ut quem vis ad misericordiam flexere posset, si non tigride lævius, aut caute durius peccus haberet.

**H**æc cogitans nescio quid amplius cogitem, nisi admirari, & obstupescere, si tamen hoc est aliquid cogitare, inter cogitanda hæsitare.

§. 150. *Vt crucifigeretur. v. 16.*

Iam apparet ad quid Pilatus Iesum tradiderit, nempe ad quod Iudæi tradere per legem suam non potuerunt eo modo quo Pilatus, revera tamen suo modo tradiderunt eodem, sed intentione & clamore. Doctores non spernendi hic autumant quod Christus iterum fuit flagris immanissimè cæsus, quoniam Romanorum leges hominem ultimo supplicio damnatum virgis cædi iubent, tamen nullus Evangelistarum illud commemoravit. Iple vero inter hos grandinum turbines quemadmodum Iudici impie iudicanti sese prius tradiderat, & tanquam agnus coram tondente obmutuit, ita nunc ministris sententiæ Iudicis executoribus sese iteram tradidit, non aperiens os suum.

**S**ed ô mitis Iesu, ô animæ meæ solatium, quis sufficiens ad tollendum te, vel tradendum te fuisset, nisi id infinita tua charitas voluisset? Tua, tua inenarrabilis charitas, tuus immensus amor, fidelitas tua te tradidit magis ut crucifigereris, tua hoc dissimilavit bonitas, voluit humilitas, deitas approbavit tuus animus feralem sententiam excepit, corpus persensit, summa mea necessitas clamoribus obtinuit, & meorum peccatorum tabes causavit. O vitæ fons, ô primogenite mortuorum, & inter mortuos liber? O condemnata salus. Nec satis erat tradidisse te simpliciter in manus inimicorum, sed in eum finem tradidit, ut crucifigereris supplicio illo quod apud Romanos à Tarquinio superbo postremo Romanorum Rege excogitatum est, uti Benavidius refert, qui hoc etiam observavit, crucem ex infelicibus arborum stipitibus fabricari solitam. Arborea autem infelices dicebantur qui nullum referebant fructum, idque ad maiorem eorum qui crucis supplicio afficiebantur ignominiam, cum crux non solum grave supplicium reputaretur, sed etiam præter cætera suppliciorum genera summo dedecore emineret, iuxta id, quod in sapientia legimus! *Morte turpissima condemnatus enim, quod de cruce per Hæbreos servatori procuranda solet*  
expo-

exponi: quando Christum cruci affigendum in concilio statuerunt. Et hoc  
 mortis genere vilissimo necabantur mancipia, quæ ob flagitia & scelera  
 malitari oportebat: publici item latrones ac insigniores piratæ, iam igitur  
 Rex Christe factor omnium redemptor & credentium: placate votis (ap-  
 plicium te laudibus colentium. Cuius benigna gratia crucis per alma vul-  
 nera: virtute solvit ardua, primi parentis vincula: qui es creator siderum,  
 tegmen subtili carneum; dignatus hanc vilissimam, pati doloris formulam  
 ligatus es, ut solveres mundi ruentis complices: per probra te gens crimina  
 quæ mundus auxit plurima, Cruci redemptor ligeris, terram sed omnem  
 concutis, tradis potentem spiritum nigrescit omne sæculum. Mox in pater-  
 na gloriæ, victor resplendens culmine; cum spiritus munimine defende  
 nos rex optime Amen.

§. 151. *Snsciperunt autem Iesum.*

Post latam à Pontio Præside diram sententiam, quæ talis referitur fu-  
 isse teste Adricomio, qui ex antiquis ut putant descriptam sententiam in  
 descript. Hierosol. n. 19. his verbis proponit. *Iesum Nazarenum subversorem  
 gentis, contemptorem Cesaris, & falsum Mesiam (ut maiorum sua gentiorestimo  
 probatum est) ducite in communis supplicij locum & cum ludibrio regia Maschati  
 in medio duorum latronum cruci affigite.*

CONSIDERA hic anima Christiana, quomodo pronuntiata hæc crudelis  
 sententia è tribunali primum rapiatur hæc præda à canibus cum iubilo  
 & exultatione, ut laceretur, quisquis enim Iudæorum partem ex ea habere  
 voluit in supplicio exequendo, nec ab hæc sententia quieverunt, donec a-  
 nima à corpore separata fuerit, imo post mortem lancea latus eius aperire  
 voluerunt, ne pars corpus eius intima cor nimirum, illæsa permaneret. O  
 crudelitas, à Christi patientia. Volat fama lætæ sententiæ, sit ex tota urbe  
 concursus ignara plebis ad novum illud & miserandum spectaculum adeo  
 omnibus a visis, ut hora una in annum. produci videretur, donec viderent  
 prædeuntem Iesum. O innocentissime Domine tu te reum facis pro meo  
 meo loco tanquam non ego. sed tu peccasses solvis pœnas quæ criminibus  
 meis debentur: O charitas inaudita! quis unquam vidit Regem tanto amo-  
 re servi sui captum, ut ipse se illius loco substitueret, & ad patibulum duci  
 pateretur tanquam suum, non servi esset peccatum. O mea anima noli ma-  
 ioribus oneribus gravare salvatorem & Deum per tua peccata, omnia e-  
 nim supplicia & cruces tam animorum quam corporum, quæ omnes simul  
 mortales ferre possunt nihil sunt præ ijs quæ Dominus tuus ad redimen-  
 dum te sustinet.

§. 152. Et eduxerunt eum. v. 16.

Posteaquam Christo detraxerant purpuram, & illam una dum veste alba flagellis &c. iuxta eum veluti insignia ludicra portari curaverat, suamque illi vestem red diderant, ingenti gaudio perfusi, quod Christum audirent damnatum suæque voluntati transcriptum: ideo in compitis passim gratulabundi concursabant, ac Pilatum, ut iustum Iudicem dilaudabant eiusque sententiam latam probabant. Non opus erat ligna vel fabros conquirere, iam enim secreto Iudæi omnia paraverant, solum erat maxima cura, ne ex prolixiore mora Pilatum sententiæ pœniteret, nec executio illius procederet aut retraheretur, hinc festinanter educitur Abel in agrum à fratre, ut perimatur: victima ad aram properatur. Agitur Isaac cum lignis à Abraham: aries vepribus hæret: etiam Ioseph cum manipulo somnians & tunica talari sanguine lita. Moyses cum virga & serpente in ligno, botrus in veste portatus. Eiliseus cum ligno ad recuperandam securim, quæ in imo demersa erat, sed renata vit ad lignum. Homo decedit sed per lignum crucis Christi & per baptismum aquæ ad paradysum natavit. Ionas in navi, mox in mari, ventreque ceti.

O Infelix Hierusalem! ô miserabilis Babylon, hodie à te exit Salvator tuus, quem à te expellis. O cæca Hierusalem, non vides quod imperatorium diadema tuum exportet in capite suo, poderemque Sacerdotalem in corpore, illudque imperij sui vexillum humeris suis transferat Romam versus, nempe ad occidentem vrbis tuæ, in montem Calvariæ, ad gentes se transferens: O quam rite diceremus, quod tu illam rejicias, non quod à te abeat: nam illud mos eius habet, ut non vocatus etiam animam nostram occupet, indeque non nisi violenter expulsus recedat.

§. 153. Et baiulans sibi crucem. v. 17.

Ad longos illos & varios itinerum labores molestasque circumductiones, additum est ingens crucis pondus: erat illa si D. Gregorio Nisseno credimus è graviore ligno, scilicet è robore, longa pedes quindecim & decem in alis lata: vel iuxta Bernardum & alios, erat composita ex quadruplici ligno, cupresso, cedro, palma, oliva. cupressus in profundo, cædrus in longo, oliva in alto, palma in lato. Pondus eius adeo immane fuit, ut sub ea fatiscens Salvator sæpe sæpius concidisse credatur. Vnde ne succumberet penitus, quærendus ei fuit Simon aliquis, qui ei succollaret.

Tunc obvia facta est ei Virgo Mater, eo seu amoris, seu doloris sensu, ut D. Bernardo auctore, animi deliquium pati, necesse sit visum. Ipse vero

P

ro duos

ro duobus erat comitatus latronibus tanquam esset illis longe scelestior; solus crucem baiulans, quæ iuxta Prophetarum oracula fuit principatus super humerum eius, quo Sathanam superatum ibat.

**O** Miserabilis Processio in qua præco præcedebat, Carnifex ad crucifigendum cingebat, & ad custodiam armati convocati ambibant! Merito igitur omnes Christiani in sancta Hebdomade Processionem compassionis expediunt, & illa ignominiam Domini utcumque abstergant, & solari contendunt, Merito se quoque ieiuniis & c. modis affligunt.

**E**la Domine largire ut alta mentis contemplatione hæc meditanda famam, ut, per crucem à Deo Patre tibi impositam, diligenter attendam, ex quanta charitate crux mihi quotidie imponatur. Verum, ô Domine, invete meam magnam infirmitatem succurre mihi tanquam Deus creaturæ, nec sinas me tentari super id quod possum. Ego libenter tecum obediã Patri cœlesti, sed invenio me fragiliorem, quam ut solus crucem meã portem. Itaque, Domine, adiuva me, & da cum tentatione provenerim, ut sustinere possim, ne charitas in me per tentationes diminuat, sed augmentum sumat, atque ita virtutem Passionis in me experiat. Amen.

§ 154. *Ex. vit in eum qui dicitur Calvaria locum Hebraice autem Golgotha. v. 17.*

Locus, quo exivit Dominus noster Iesus Christus crucifigendus, latine mons Calvaria dicitur, Hebraice Golgotha, quod idem est ac nudum hominis cranium: ita porro appellari placuit vel quia in eo multæ spectabantur Calvaria, vel ab Adami Calvaria eo loco sepulta, fuit autem ille mons multis apud antiquos nominibus celebris. Primum in eo victimas, uti creditur, obtulit pius Abel ac deinde à fratris invidia, odioque & ipse in eo victimia cecidit. Tum etiam post tarda sæcula, obscuroque sceleribus soles Noë ab aquarum diluvio sibi, & libero solo redditus, Deo vindici ac servatori holocaustum in eo posuit. Deinde & in eum Pater Abraham, filium suum Isaac eduxit, ut obedientia, Deoque victima offerretur manu Patris, ita iubente cælo, & hinc tum audijt mons *Moria* hoc est *mons visionis*, quod in eo obiecta fuisset Abrahamæ ingens columna ignis veluti cœleste ostentum quo moneretur eo ducendum Isaac, ut superis, Deoque immortali immolaretur. Fuit deinde apud vereres multum nominatus ille mons maxime tamen ex eo quod tandem senescente mundo, Christus in eo pependisset infami affixus ligno, vitamque homini liberando per extrema supplicia dedisset. Post hæc factum est ut ille ipse mons, qui prius e-

rat veluti publicum infamiae theatrum, iam locus sit honoris ac veneratio-  
nis, & tanquam patens omnibus Christianis templum, in quo Deus homo  
cruci quondam affixus colatur, uti prophetaverat futurum Ieremias cap.  
31. v. 39. ubi describit quantum amplianda sit Ierusalem post captivitatem  
Babylonicam. Ad hunc ergo monte exiit Iesus à Hierusalem, à tribuna-  
li, à Pharisæis, Principibus Iudæorum, & Pontificibus non reversurus nisi  
cum gloria accepto gravi sanctæ crucis ligno libenti & placido animo,  
gestans illud ingenti cum desiderio ad Patris sui gloriam pro salute mor-  
taliū: nec crucem modo illam ligneam, verum etiam totius mundi in se  
peccata omni mole ponderosiora, in se recepit, atque in Calvariam aspor-  
tauit, ubi eam cruci affixit, occidit, proprio diluit sanguine & morte sua acer-  
bissima expiavit. Hoc est quod Proposita ait *Omnes quasi oves erravimus  
unusquisque in viam suam (id est post concupiscentias & oblectationes suas) declinavit  
& posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrorum.* Simul autem & perfe-  
ctionis quandam nobis Dominus formam re ipsa hic exhibuit, uti ante ver-  
bo nos instituerat, seipsum funditus abnegans, & resignans, crucemque  
suam constanti perseverantia ferens.

Quisquis ergo eius vis esse discipulus tu quoque fac similiter & sequere  
Dominum tuum exemplum vides, inspicere & fac secundum illud.

S. 159. Vbi crucifixerunt eum. v. 18.

In loco scilicet Golgotha, Hierosolymæ ad occasum solis vergente,  
tunc ante portam posito: at quæstio hic oriri videtur quomodo Christus  
Dominus sit cruci affixus, an humi stratae an vero erectæ affixus? Primum  
voluit D. Anselmus, Laurentius Iustinianus, Abulensis & alij &c. quia ea  
ratione facilius videtur fuisse Christi crucifixo, & ita communius appensi  
sunt, ij qui crucem in paratum locum supplicij detulere. inde factum au-  
temant plerique, ut in die veneris sancto cruci humi depositæ figamus os-  
cula, in memoriam diei illius, quæ crucem stratae vidit in nuda humo, ei-  
que instratum luxit, genuitque mundi Salvatorem.

Contra tamen existimant alij eum in cruce iam ante erecta fuisse af-  
fixum ita S. Bonaventura, Toletus, Ribera & alij. Et videtur colligi ex reve-  
lationibus S. Brigittæ, cui favet illud canticorum. *Ascendam in Palmam &  
apprehendam fructus eius,* utique crucis, in quam velut in victricem palmam  
ascendit servator optimus, ex eaque orbi iam perituro vitæ fructus dedit.

Secunda Quæstio, an non etiam funibus Christus ipse cruci fuerit al-  
ligatus? fuisse vult S. Hilarius, cuius opinioni astipulatur illud, quod ij fu-  
nes



nes Romæ etiamnum ostendantur in templo S. Crucis, cui sententiæ fa-  
vet etiam ea ratio quod tota corporis moles vix videatur à manibus pen-  
dere aut sustentari potuisse: imo ne sic penderet ac sustentaretur præter  
funes etiam ferrea vincula manibus impleta fuisse. Vult Nonnus Panopo-  
litanus paraphrastes, sic enim habet: *Extenderunt Christum astringentes, res-*  
*plisatis utrinque manus ferrea vincula, nisi hæc ipsa vincula ferrea, interpre-*  
*tescentur esse clavos.*

Tertia Quæstio tresne fuerint an quatuor clavi, ita ut fuerit manibus  
singulis sic & pedibus sui infixi sint clavi? Communis opinio tres tantum  
numerat: minus vulgata quatuor recenset: sic videtur D. Brigittæ ab ipsa  
Virgine Matre quondam revelatum, sic etiam testari videntur impressi D.  
Francisco stigmata quæ clavos omnino quatuor exhibent, ut adverte Lu-  
cas Tudenis. Cuius porro molis fuerint ij clavi non ita constat, Andreas  
Valladier Doctor Theologus & celebris Ecclesiastes asserit singulos fuisse  
fetus qui pedem longos, ut pater ex eo qui Parisiis in sacello sancto visitari so-  
colitur. Et certe necessum est fuisse inusitatæ magnitudinis cum & in car-  
pum & ex eo in volam manus, & ex hac in crucem sine adacti. Est carpus  
brachij extremitas quæ proxime nequitur manui in eo maxime censeatur  
pulsus, seu arteriæ micatio; in eo etiam sunt plurima nervorum contigua  
& veluti nemus aliquis, & quod inde consequens, in eo maxime viget sen-  
sus tactus, adeoque dum is convellitur ingens dolor. His ita constitutis, il-  
lud ad extremum conficio clavos ingenti nisu, crebraque contusione ad-  
actos fuisse per carpum non directe sed transversum, ita ut per carpum ad-  
digerentur in manum, & clavi extremitas in extremam manus superficiem  
desineret, illamque affligeret cruci. ita porro affligi placuit, tum ut hæretet  
firmius, tum ut maiori afficeretur cruciatus: dum clavi per diffusos in carpo  
nervos, arterias & venas adiguntur, easque contundunt. Sed & aliunde  
mirum quantum accrevit dolor, scilicet ex distensione pectoris, omnium-  
que prope ossium luxatione: cum enim crucem temere cerebrasset pri-  
mum illi infixerunt manum unam, at ubi ad dextram ventum est, cum es-  
duci non posset ad paratum in cruce foramen alterum, necesse fuit mag-  
na vi, ad motisque vinculis eo trahi, distentis nervorum compagibus, di-  
stractis artubus, & luxatis ossibus: in ea porro distensione corporis totius  
& disjunctione ossium, pectoris, distractione & nervorum maior quam in  
ullo alio cruciatus perceptus est dolor, cuius ratio petitur à natura, ipsaque  
humani corporis compositione: cum enim ossa pectoris sint instar alicuius  
valli, & propugnaculi pro corde, si ea plus æquo distrahantur, necesse est  
exoriri plane immanem doloris sensum. *Et ita experientia propria didi-*  
*cisse*

esse se testatur Catharina Senensis, si quando à Christo, seu sponso, passionis eius, dolorumque omnium fieret particeps: sentiebat illa longe maximum cruciatum in distensione & distractione peccatoris non ab simili quam olim servator pertulisset: Et certe quantum sit doloris sensus etiam è suo metiri quisque potest, qui aliquamdiu extensis brachijs oraverit: maxime & conatus aliquis, si vis, si temporis diurnitas accesserit, quæ omnia in Christo fuere summa.

Quæstio quarta, an pependit in cruce omnino nudus, more scilicet Romano? S. Ambrosius & S. Bonaventura censet servatorem optimè ita in leculo crucis nudum iacuisse & conspectum esse ut nulla pars nisi sanguine fuerit tecta. Quod insignis ignominia nota illara animæ, corporique longe castissimo, fuit sane gravissimum. De ea nuditate ita D. Ambrosius *Nudus crucem ascendit, nudum esse video, talis ergo ascendat qui seculum vivere parat, ut seculi aduimenta non querat: victus est Adam, qui vestimenta quaesivit: vixit ille qui vestimenta deposuit, & talis ascendit quales nos auctore Deo natura formavit.* Hactenus S. Doctor cui consentit Taulerus, qui primum Adam secundo sic opponit: Adam ob amissam innocentiam tegere se, & vestibus operite festinavit: Christus vero nudatus est, eo quod integram & illaesam servasset innocentia puritatem, nec ullo ei alio regimine opus erat. Et ex Christi quamvis timenda nuditas Martyribus animos fecit ut eam ipsi non inique paterentur, eius vel exemplo vel amore provocati. Ita S. Flavia virgo nobilissima & Martyr inelyta, sororque S. Placidi Martyris in situ Mamuchæ Tyranni nuda suspenderetur, hæc ad illam virginea invictaque mente *Ego non tantum corporis nuditatem sustinere parata sum, sed & gladium & ignem propter eum qui pro me denudari, flagellari, crucifigi voluit.*

Ita hoc quo vivimus ævo in Iaponia Matronæ & Virgines, quæ genere, quæ virtute nobiles patiuntur se nudas ad ludibrium exponi & vestes quam fidem amittere malunt, sunt tamen alij pij qui eo loci ac temporis consulum volunt, vel spectantium oculis vel pudori Christi, ideoque censent ex Revel. S. Brigitæ omnino quidem nudatum Christum immitti barbaraque carnificum manu, at tectum piæ cuiuspiam alterius beneficentia: fuit enim, ut aiunt, ex astantibus unus aliquis, quem eius nuditatis, ac pudoris (qui iam in Christi vultum ascenderat) miseratio cepit, iniecit ille linteolum in Christi manus qui illud sibi circumposuit antequam manus ligarentur cruci. D. Anselmus officium illud seu beneficentiæ seu pietatis adscribit virgini Matri, quæ impatiens eiusmodi nuditatis, ac filij misera, velum sibi è capite detraxit, per confertam militum turbam penetravit,

Deique hominis ac filij pudorem texit, quem scilicet & natura & ratio & infusus cuique honestatis amor legi voluit.

Vltimo quaeritur, cur scilicet ex variis mortis generibus quæ occurrerant eo tempore, hoc sibi elegerit Servator optimus, neque enim estimandum, quod illud aut ex necessitate aut ex Iudæorum malevolentia subierit ut alij rei. et si enim ei ab æterno Patre impositum esset præceptum moriendi, adeoque necessitas quædam: at genus & ratio mortis ei penitus libera est relicta, cur igitur hanc sibi servatam voluit? Ratio una est, ut ad vitæ lignum, unde excideramus, per ignominia lignum revocaremur, inquit Nazianzenus, & quia, ut mors per arborem, sic vita per crucem, ut notat disertè S. Ambrosius.

Altera ut dum pendet mediis cælum inter & terram, cœlites terrenis reconcilientur. Eodem respicit D. Cyprianus, qui asserit Christum in crucem erectum, ut sanctificeret de excelsis plebem, ut elevarit in sublimi & quasi cælo proximum scalam erigeret in patris occursum, vel ut ait S. Athanasius, ut aerem aperiret, & viam ad cælum nobis inveniret.

Tertiam, addit D. Augustinus, noluit inquit lapidari aut gladio percuti, quia nec lapides nec ferrum, quibus defendamur, semper ferre nobiscum possumus: at crucem qua contra inimici versutias muniamur, semper ferre possumus, exprimitur enim illa levi motu manus.

Quartam asserit D. Anselmus, pessimam mortem Salvator elegit ut omnem mortem occideret. Quod dum oculis animoque legit D. Bernardus amabili stupore plenus exclamat; *O bone Iesu, quid tibi est, mori nos debimus & tu solvis: Nos peccavimus & tu luis, opus sine exemplo, gratia sine merito, charitas sine modo.*

Et hæc & illa tum in morte, tum in ipso morientis testamento eluxit. Solent pij parentes, ut in lætos annos ab eorum beneficentia, pietasque testamentum condere & filiis ac propinquis sua bona legare quod & fecit Salvator optimus. *Author pietatis*, inquit S. Ambrosius, *in cruce pendens testamentum condidit, singulis pietatis opera distribuens, Apostolis persecutionem, Iudæis corpus, patri spiritum, Virgini paranympum, latroni Paradisum, peccatori infernum Christianis pœnitentibus crucem.* Nos cum sancta matre Ecclesia inclinato capite supplices dicamus,

**O**mnipotens sempiternæ Deus qui humano generi ad imitandum humilitatis exemplum Salvatorem nostrum carnem sumere, & crucem subire fecisti; Concede propitius, ut & patientiæ ipsius habere documenta, & resurrectionis consortia mereamur, per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

§. 16. *Et cum eo duos alios hinc & hinc, medium autem Iesum. v. 18.*

Vt testes essent veritatis crucis & mortis Domini, vel potius figura eorum pro quibus Passio Domini est impleta. Vnus eorum quibus prodest Christi meritum; alter eorum qui sua culpa illud negligunt. Vtrique enim hominum generi se patiens dedit & salvatis & damnatis, sed hi sibi applicare per se derunt, isti apprehenderunt, idcirco medium eorum pependit, ut neutri esset remotus.

**A** Doro te Domine Iesu medium inter latrones; non uni te propinquior quam alteri agnosco. Damno hærefes quæ te solummodo pro salvatis passum comminiscuntur, teneo cum Romana Ecclesia pro omnibus esse mortuum, etiam pro omnibus tibi gratias ago.

§. 157. *Scrisit autem & titulum Pilatus. v. 19.*

Quia hominis per hominem exterminatio est adeo horrenda naturæ, ut ratio ægre id ferat, nisi urgentissima adsit causa, moris fuit semper apud veteres titulos apponere supplicia passuris, ut eo modo hi, qui iudicio non adfuerunt, summarie cognoscerent, non barbære & tyrannice, sed iustitia exigente reum esse damnatum. Idem igitur in titulo pro Christo scribendo spectavit Pilatus, nam quia ipse reus adeo fuerat celebris, ut mundus post illum curreret, & nullam mortis in eo causam invenerat, non potuit pro se prudentius agere, quam titulum sua sponte ascribere, etiam si isto tempore titulos ascribi exolevisset. Et quidem talem titulum, qualem scripsit, illo enim, uti videbimus neque utiliore, neque simul Christo decentiorem omnis hominum sapientia invenire potuisset.

**D**EUS meus, agnosco quod quicquid agant homines, tu per ipsorum consilia, etiam ipsa scelera tendas & pulchre pervenias ad tua sancta proposita. Disco etiam ex Pilato prudentiam, ut caveam scandala, in insolitis & extraordinariis actibus, & si aliquando insolita agere debeam, ut tunc rationes meas publicare non omitram, ut quies in animis proximorum conservetur. Da igitur Domine tam providam semper à me & cunctis fidelibus adhiberi cautelam.

§. 158. *Et posuit super crucem. v. 19.*

Provide & hoc Pilatus curavit ut titulus ille scriptus poneretur super crucem Domini, & non præferretur in pompa, quomodo apud Iapones fieri accipimus. Cum enim tres ducerentur, quis horum titulo illo in-

signi-

significetur obscurum mansisset at cruci Domini affixus minime obscurus iudicium fecit cunctis qui legere possent, ad quem pertineret.

**O** Titulum triumphalem, regium & omnem magnificentiam præcellentem! & librum involutum scriptum intus & foris, nunc in cruce velut expansum in pulpito, toti mundo legibilem! lege, hauri, inebriare mysterium & anima mea: sic instar tituli huius cor meum tali typo conscriptum ad gratitudinem, ad imitationem, ad certæ salutis indicium. Immo lem phare quæ quotidie in tanti beneficii memoriam, tinctoque hylosopi fasciculo in sanguine agni aspergam superliminare, & utrumque postem domus meæ: corpus & animam, ut vitam habeam & abundantius habeam, Amen.

§. 156. Erat autem scriptum: *Iesus Nazarenus Rex Iudeorum*. v. 19.

*Iesus* tanquam proprium nomen crucifigendi. *Nazarenus* propter patriam quia scilicet in Nazareth conceptus & nutritus fuerat, *Rex Iudeorum* quasi causam mortis ipsi inflicte & iustificationem Actorum Pilati, & consolationem Iudeorum, solatium Christianorum, exaltationem & gloriam Domini, nam quia Pilatus nullam causam mortis in eo invenire potuit, & tamen damnare debuit, impulsu Iudeorum, optime se purgavit apud Politicos & mundum hunc ita scribendo. Quia vi huius tituli, cuilibet rationem damnationis exposcenti, dicere poterat. Rex à populis creatur, & tollitur, cum ergo Iudæi Regem suum amplius nollent tolerare, ipsorum rogatu ipsum iustuli, & sic in iste egi, etsi ipse nihil aliud deliquerit. Quod ad solatium Christianorum, illud norunt, qui iuxta interpretationem Iudæi nominis consententur sincere Domino, isti norunt quantum habeant solatium in hoc titulo. Denique gloria Christo ex hoc titulo mira obvenit, quem usque modo dimittere noluit, sed à Iudæis exorsus, regnum ad omnes gentes propagavit, donec omnes ponantur sub scabello pedum suorum.

**F**E hæc tanta mysteria per tam vile instrumentum, quale Pilatus erat, Deus nobis aperuit, quod & ipsum ostendit mirabile Dei consilium. Sic enim Deus novit etiam impiorum consilia ad suam gloriam convertere. Legamus ergo & nos hunc titulum devota cum meditatione, illumque nostris imprimamus cordibus ut sit nobis scutum contra tentationes omnemque inimici potentiam, simulque sit decus & memoriale nostrum. Agnoscamus verè *Iesum*, hoc est verè salvatorem, orbisque totius redemptionē. Ideo enim in cruce pender, ideo sanguinem fundit, ut hanc salutem opereretur in medio terræ. Agnoscamus & *Nazarenam* hoc est floridum, ornatum

natum, coronarum omni decore, floreque virtutum fulgidum. Ipse de se dicit: *Ego flos campi & lilium convallium*. Ecce flos in campo patenti, ad quem nemini accessus prohibetur. Ecce flos florum qui omnium in se florum perfectionem continet. Flos qui multos flores est producturus, rosas Martyrum, lilia Virginum, violas Confessorum. Ecce flos qui odorem succulens refert, & contritus accumulat, nec avulsus amittit, qui & mortuis æternæ vitæ odorem exhalat. Flos ergo iste regius omnia florida facit, omnia complet odore: etiam spinas, etiam crucem ita facit amabilem, ut de ea dixerit sponsa, odore eius attracta, *lectulus noster floridus*. Ipsius etiam odorem iam à longe perferentem Isaac dum dicebat, *Ecce odor filii mei, sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus*. Denique etiam Regem agnoscamus & fateamur. Hoc est Regem Iudæorum & Israelitarum sive credentium & confitentium. Si verè sumus filij Abraham & Israelitæ, ipse est Rex noster: nosque hic regere optat per spiritum gratiæ suæ & dominari in cordibus nostris, tandemque in societatem regni assumere æternam. Fiat, fiat.

§. 160. Hunc ergo titulum multi Iudæorum legerunt, quia prope Civitatem erat locus ubi crucifixus est Iesus. v. 20.

Cautè dicit sacer scriptor multos titulum legisse, quia non omnes didicerant literas eo tempore, nec omnes aderant, qui legere poterant. Non sic nostri temporis scoli, hi contendunt omnibus debere concedi ut legant Biblia, cum tamen omnes legere nequeant cæci & duces cæcorum.

**E**go tibi Domine Deus habeo necesse gratias agere, qui me per parentum meorum curam eo direxisti, ut non solum legere, sed etiam hoc ipsum opus scribere didicerim, magnum est solatium scire legere, magnum etiam scribere nosse. Thesaurus est ingentibus gazis emendus.

§. 161. Et erat scriptum Hebraicè, Græcè & Latinè. v. 20.

Et istud, à Pilato excogitatum felicissime, à spiritu sancto inspiratum est, ut neminem eorum qui ad diem festum Hierosolymis convenerant, mors Christi lateret. Hæ enim tres linguæ, Latina, Græca & Hæbræa ubique terrarum usitatae erant eo tempore, uti communes linguæ. Sancitæ sunt ergo in cruce à Deo istæ tres linguæ, & electæ ut in eis divina fiant per orbem officia. & ideo eas semper magni fecit, facitque Ecclesia Catholica non quasi ipsæ sint Magistræ & reginæ veritatis, sed uti capsulæ quædam & capedunculæ quibus veritas asservari possit. quomodo ergo de capsula tolli potest gaza inclusa & eius loco reponi lapis & lutum, ita de Hebræa &

Græco

Græco & Latino textu potest tolli sensus verus & supponi falsus.  
**D**omine Iesu gratias tibi ago quod Ecclesiæ tuæ dilectæ in cruce ostendi-  
 disti quibus linguis te, potissimum in sacris, maxime sacrificio seu Li-  
 turgia, quæ est Passionis tuæ memoriale, debeat honorare. Laudo etiam te  
 S. Mater Romana Ecclesia, quæ constanter his linguis semper Dominum  
 honorare decrevisti, nec sordes aliarum linguarum permittis induci in sac-  
 ra. Indies tu his tribus linguis Deum honoras, dicens ex Hebraica Osa-  
 na, ex Græca Kyrieleyson, ex Latina cætera fere omnia.

§. 162. *Dicebant ergo Pilato Pontifices Iudeorum; noli scribere, Rex Iudeo-  
 rum. v. 21.*

Magna apparet in his Iudæis audacia, arrogantia & impudentia,  
 qui uti a te dictaverunt Pilato quomodo deberet Dominum damnare,  
 nunc etiam volunt dictare quomodo debeat scribere.

**O** Filij hominum nolite vos obsecro dare Passionibus vestris, quia vete-  
 vos protrubant in extremas miseras, quid non isti Iudæi moliantur?  
 quid non tentant? quomodo laborant, & quid effecerunt? Quod Iosephi  
 fratres, hi cum super se regnare noluerunt, & ideo in Ægyptum vende-  
 runt, & hoc fuit medium quo super eos regnaret potentius & terribilius,  
 quam si eum in sua patria quietum vivere permisissent. Ita plane, omnia  
 quæ Iudæi adhibuerunt, ut Domino nocerent, gradus fuerunt quibus Do-  
 minum erexerunt.

§. 163. *Sed quia ipse dixit: Rex sum Iudeorum. v. 21.*

Modo dictaverunt Iudæi quid scribi non deberet, iam dicant quid  
 ipsi scribi placeat. Sed quam prudenter videamus. quomodo ergo Iesus  
 Nazarenus, quia ipse dixit Rex sum Iudeorum, quid hoc est ne ideo Iesus  
 Nazarenus quia ipse dixit, Rex sum Iudeorum. Nequaquam, Iesus est, quia  
 ita vocatus est ab Angelo & in circumcissione ei id nomen impositum est.  
 Nazarenus autem quia natus est in Nazareth, & etymologiam nominis  
 eiusdem implet. Si vos Pilatus audiret certe ipsa scriptura eius falsifica-  
 tionem proderet incongrua cohaesione phrasos.

**H**abent hoc omnes falsarij & mendaces, quod nequeant ita fabre men-  
 tiri, ut in ipsorum verbis & scriptis mendacium & falsitas non possit  
 non deprehendi. In concilium eorum non veniat anima mea.

§. 164. *Respondit Pilatus: quod scripsi scripsi. v. 22.*

Quia Pilatus notabat Hæbreos Pontifices & Principes, ut suam ma-  
 gis

gis perfidiam atque acerbiter proderent, Christi mortem maiori ignominia notare velle quippe qui in titulo scripto illud admisceri ad laborarent & peterent, quod ipsi optabant & erat contra veritatem; nihil immutari voluit præles prudens: sed respondit illis, *quod scripsi scripsi*, non vultis vos ut quod scripsi sit scriptum; volo ego ut quem damnavi non sit damnatus. Divina ergo providentia rexit Pilatum scribentem, quia revera erat Rex Iudæorum, incipiens à Iudæis regnare in omnes gentes.

Et hoc pro instructione nostra, ne & nos facile mutemus proposita bona, vota præsertim emissa & quæ ad iustitiam & religionem promovendam decreta & promulgata sunt. Peius igitur gentili Pilato agunt Apostata, qui fidem vel religionem deserunt, cui nomina sua dedere: Nos ab his cavebimus per Dei gratiam & quæ semel in corde nostro scripsimus ac decrevimus ad Dei gloriam, nunquam oblitterabimus, sed cum Pilato tentatori respondebimus Dæmoni & carni & mundo. *quod scripsi scripsi: quod dixi, dixi.*

§. 165. *Milites ergo, cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius. v. 23.*

Duo audio officia vel usurpationes militum hoc loco recenseri, nempe crucifigere Dominum prius, & deinde eius vestimenta accipere. An hoc solenne sit ei vitæ generi, non habeo cur hoc loco affirmem, sed neque cur negem. Quoniam de solis his ago qui tunc erant Ierosolymæ, cum ista fiebant, & non de omnibus istis, sed quibus negotium datum est, vel qui id sibi poposcerant. Isti ista duo fecerunt, alij quid agant ipsi viderint, nolo me eorum constituere iudicem gratis cum periculo, quoniam arma portant, quæ non porto, & tamen vereor. Duo ergo fecerunt, crucifixerunt & acceperunt. Videamus ne & hoc contingat in alijs hominum institutis. Fuerunt Iudices qui occiderunt homines & eorum substantiam traxerunt ad se. ita fecit Achab & Iezabel uxor eius apud Israelitas. Faciunt hoc etiam Christiani? Nolo eos accusare ipsi se iudicent qui ista audiunt vel legunt. timeo non sine causa ne etiam quorundam ex nobis sensus corrumpantur, ad stuporem dulcis vel suavis est odor lucri, & suavissimus si accedat necessitas.

Oblecto Domine custodi ab hoc laqueo animam meam, ne crucifigam & accipiam. pauca dico, sed tu cordium scrutator nosti sensum.

§. 166. *Et fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem. v. 23.*

Indicatur hic fuisse 4. milites crucifixores, prout etiam num moris est

Q 3

in orig



in oriente, ubi crucifixio adhuc supplicij loco viget. Hi igitur, veluti operæ suæ pretium, Christi vestimenta acceperunt pro mercede. nam et si Christus exactissimam spiritus paupertatem ab ipsa nativitate tenuit, nuditatem tamen non probavit, nec omni dominio vel usu carere intendit, sed tantum Dominij & usus servavit, quantum ad propositum sibi finem redemptionis humanæ & boni exempli pro Ecclesia sua condendi, utile & necessarium iudicavit. Neque sane continuo illa paupertas est melior, quæ est omnium rerum, & solatiorum egentior (hac enim ratione egentissimum esse Satanam est in proverbio) sed quæ est ad finem vel huius hominis vel istius ordinis consequendum aptior. Habuit ergo vestimenta Dominus & quidem plura in Passione quam alias, quoniam & albam tunicam meruerat ab Herode rege, & in domo Pilati purpureum vestimentum, & alibi funes & carenas acceperat, quæ illusionis maioris gratia crucifigendo uti Regii erant & ante & à latere portata in pompam. Ex his igitur & quibus ante Passionem suam usus erat, facile quatuor confectæ fuerint partes. Cum igitur iam eo deductus esset Dominus ut non amplius inter homines conversaretur visibilis, sed gloriæ veste esset induendus, omnino despoliari se terrena veste permisit, & sibi ne quidem secularum suarum testamentorum legendarum potestatem indulsit. O quanta cum exultatione illa vestimenta exceperunt amici eius, & hi qui funebrium vestimentorum eius simbriam tangendo fuerant sanati; sed tunc nemo illa ambire audebat. Et forte milites insolenti aviditate hæc vestimenta ambiverunt, ut apparet, quod scirent se ingentes divitias ab amicis Christi posse impetrare, si eas venales offerrent. Imo per se ipsum valde curiosum erat, etiam seposita sanctitate Domini, habere vestem quæ fuisset Regis in Iudæa crucifixi.

**O** Christiane considera hic Salvatoris tui liberalitatem, qui in ipsa cruce quam vis lassus & fractus doloribus mortis, tamen oblivisci non potest beneficentiæ suæ. Cum se totum, vitam & sanguinem saluti mundi condonasset, ne quid restaret quod in beneficium peccatorum non cecidisset, vocavit lictores ad divisionem vestium suarum. Rursum vide ut improbi illi Carnifices, tanto indigni beneficio, accipiant quasi per iocum pauperes vestes atque ante oculos ipsius Christi, ut crescat contemptus. Vide ut avide mittant super eas sortem in Christi paupertatem iocos iaciendo. Cogitavit Christi dolorem cum videret quanto contemptu tractarent & iriderent vestimenta sua. Item matris ipsius cum videret sortem mitti, & prædam fieri vilissimorum Carnificum vestem, quam cum tanto amore & devotione ipsius ipsa confecerat manibus, neque facere potuit, quin ad filium

Hum lacrymosos oculos vertens diceret. Heu tibi cor meum, quid iam dabis matri tua, qua suis te uberibus educavit? quando Carnificibus qui te crucifigunt disperseris vestimenta! Potes etiam Christiane cogitare, quod Dominus voluerit sua vestimenta in quatuor partes dividi, ut ostenderet meritum suae Passionis in quatuor orbis plagas iam iam propagandum esse. Sic enim omnes populi per fidem Christi participes facti sunt Passionis eius, quemadmodum sole vestitur & ornatur orbis universus. At inconsutilem togam, quae figura est Ecclesiae noluit dividi, ut significaret unitatem eiusdem Ecclesiae quae per omnes mundi plagas in omnibus nationibus & populis una & indivisa futura esset, sicut est unum Baptisma & unus Deus, ab omnibus adorandus. Voluisti etiam, dulcis Iesu, quemadmodum tua vestis divisa est, ita quatuor facere partes amoris. Primam tribuisti Angelis, quorum instaurasti ruinas Alteram amicis, quos tuo sanguine redemisti, tertiam Iudaeis pro quibus apud Patrem deprecatus es excusans peccatum eorum. Postremam Gentibus quae te crucifixerunt, quas vestibus tuis induisti. O summa bonitas! ô profunda charitas!

§. 167. Et tunicam, erat autem tunica inconsutilis desuper contexta per totum. v. 23.

Tunica erat illa inconsutilis, quam à B. Virgine Matre Iesu contextam tradit Euthymius, quae & simul cum Christo crevisse creditur, non secus ac creverunt cum Israelitis vestes quadraginta annis, quibus duxit eos Dominus per desertum, quae etiam attrita non fuerunt. In sensu autem mystico inconsutilis haec vestis, ad quam nunquam admota est acus, significat ex SS. PP. sententia, sanctam & benedictam Christi filij Dei Ecclesiam, quam nunquam scindere potuerunt Gentiles persequendo, Iudaei insidiando, Turcae excindendo, Haeretici seducendo. Tentarunt illud quidem schismatici. 1. volendo tot esse Ecclesias diversas Christi, quot sunt Parochiae, vel classes seu dioeceses. 2. tot introducendo Ecclesias, quot sunt Imperia vel Regna. 3. Volendo persuadere duo esse capita Ecclesiae Petrum & Paulum, sed nihil effecerunt, se ab Ecclesia Christi quidem absciderunt, ipsam nunquam in duas Ecclesias Christi redigere potuerunt.

**E**tiam, amantissime Domine, adiuva sponsam tuam Ecclesiam, quae contristata supra modum etiam passim multam affligitur. Quot sunt qui seipso ab ea segregantes, quantum in illis est, sibi dividunt tua vestimenta? Hos nos pati oportet, quamdiu tibi placuerit.

Q 3

Verum

**V**erum ô Pater misericordiarum integra maneat benedicta tunica tua inconsutilis, quo unitas Ecclesiæ inviolabiliter servetur, ne charitas vera qua tu & Ecclesia utri sponsus & sponsa unum vultis, nunquam labefactetur. Stet semper in conspectu tuo, ut non tradatur oblivioni, ambulet coram te ad tuam sanctissimam voluntatem semper adimplendam, admittite illam quotidie in thalamum tuum ad perfectam ibidem semper hauriendam doctrinam, qua proles suas in dies instruat. Amen.

§. 168. *Dixerunt ergo ad invicem non scindamus eam. v. 24.*

1. Timentes, ne facta scissione vestis, ipsa ex toto periret, iudicant esse multo conducibilius non scindere eam, sed sortem mittere ad determinandum cuius foret integra.

2. Ob mysterium quia utri dixi, signabat Ecclesiam Christi, quam non vult scindi Dominus siquidem ut Luc. 11. c. dixit: *Omne regnum in seipsum divisum desolabitur.* Ecclesiam autem suam voluit inexpugnabilem, unde gravissimo scelere se obstringit qui vel se vel alios ab Ecclesia Christi subtrahit quemadmodum ipse Christus S. Petro Alexandrino veste lacera apprensus, conquestus est de Arrio Diacono Alexandrino hæreseos author, dicens. *Arrius vestem meam, quæ est Ecclesia, dilaceravit.*

3. Ad documentum nostrum, ne videlicet nos in ipsa Ecclesia fideles scindamus mutuam charitatem per quam in Christo coniuncti sumus, quæque Christum ornat, instar vestimenti, uti ipse insinuat Ioannis 13. *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis si dilectionem habueritis ad invicem.*

**O** quam displicentem Deo rem agunt, qui ordines sacros, qui clericos, qui Catholicos reges & Principes inter se susurris, oblatione commodorum, spe honorum, honorum & similibus nugis inter se concitant, ut in amaras cavillationes, oblocutiones & scriptiones irruant, etiam arma contra se arripiant, & quid tandem hi concitati & belligerantes lucrantur? vestimentum quod comeditur à tineâ. Si tamen vel id ipsum consequantur, & non fiat eis, quod cani Æsopico, qui umbram carnis sectans, & carnem & umbram hiando amisit. O quam male etiam faciunt, qui redditus Ecclesiæ, ad ministrorum eius necessitates donatos, alio vertunt in militibus sine autoritate vicarii Christi concedunt, imo qui eos convasant sibi, & distribuenda cum aliis soli usurpant, & sic Dei cultum deficientibus ministris extinguunt!

§. 169.

## §. 169. Sed sortiamur de illa cuius sit.

Bene antea dixerunt, non scindamus, & bene fecerunt, quod non sciderunt, quia nulli prodesse poterat illa toga, si scinderetur; sed male nunc, quod dicunt sortiamur de illa cuius sit, supponunt enim verba ista, non esse Christi, sed alicuius ipsorum, quem nondum sciunt, sed forte deprehendere possint. Videntur igitur isti 4. milites esse 4. authores malorum quorundam quæ adhuc in mundo vigent. 1. *Aleatorum*, qui sæpe blasphemant mentiuntur & dolum struunt, pecunias utilioribus subtrahunt. Væ illis quia ponunt fortunæ mensuram, & librant super eam. 2. *Prædestinantium* qui absoluto fato quodam omnem libertatem Dei & hominum & angelorum sepeliunt, ut Stoici. 3. *Gomaristarum Antelapsariorum*, qui etsi libertatem Deo tribuunt, tamen irrationalem constituunt, qui sine causa quosdam æternis pœnis iratissimus adiudicet, alios æternis bonis. 4. *Postlapsariorum*, qui etsi ante lapsum. Adæ libertatem hominibus concedant postea tamen dicunt partem aliquam irrefragabiliter electam salvam aliam irremediabiliter damnari mentiuntur.

Bene tamen aliquando super aliqua re cognoscenda fors missa fuit, quando sortilegio de re aliqua instituto, non persona sortientis attenditur neque eius merita, cuius causa instituitur; sed ad hoc ut quod determinare homines per se nolunt, aliunde eis diceretur, paratis acquiescere determinationi cuiuscunque, & hoc sub divina directione. Vnde etiam tali modo aliquo ipsa gratiæ divinæ adeptio respectu nostri fors aliquando dicitur, quia eam non nostris prævijs meritis, sed ab extra determinatione vel præparatione Dei eam accipimus. Atque ita mihi loqui videtur Apostolus dicens: In Christo Iesu sorte nos esse vocatos, nimirum, quod in Ecclesiam pertracti sumus, atque ad Catholicam fidem vocati, hoc non suæ quisquæ prudentiæ attribuere potest neque industriæ, sed solum debet gratiæ Dei misericordiæ assignare, & nemo interrogare potest iure: *Quare sic fecisti*, cui conformiter proposito dicit idem Apostolus ad Coloss. 1. Gratias agentes Deo & Patri qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine. Ac si diceret: O fratres mei, gratias agite cœlesti & æterno patri quod capaces, dignos, idoneos ad aliquam hæreditatem luminis ac gloriæ eius obtinendam vos fecerit. Quid enim, oro per partem sortis seu hæreditatis intelligitur aliud, quam gratuita Dei gratia. De hac gratia tamen omnes accipiunt. Accede ergo, Domine Iesu, tuaque meliore sorte ac hæreditate gratiam contribue, ut tibi servire queam.

O mi-

**O** Mnis Iesu, ô animæ meæ solatium, quid animæ meæ fiet, nisi à tua divina providentia aliqua mihi hæreditatis aut sortis pars fuisset destinata? Nunc autem divitem me fecisti in omnibus bonis Ecclesiæ tuæ sanctæ in doctrina, in regimine, in sacramentis. Benedicam igitur te omni tempore, semper laus tua in ore meo.

§. 170. *Vt scriptura impleteretur, dicens: partiti sunt vestimenta mea sibi & in vestem meam miserunt sortem. v. 24.*

Quomodo intelligendum sit illud, *ut scriptura impleteretur*, alias dicitur, non quod scriptura Deo dominaretur, & iste, tanquam Iupiter stygiæ paludis formidini, esset obnoxius literis, nequaquam. Sed, ita ut Iudæus habens scripturam, & illa gloriari volens videat implem esse, quod ipsa dicit, & iam non possit negare implem esse, quod mallet expectare. Quod igitur gentibus scripturam non habentibus signi datur; unde credant aliud sane genus, nimirum signa autem eos qui crederint hæc sequentur in nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes colent, &c.

**G** Ratias ago tibi Domine Iesu, quod te omnibus aptas, sed unicuique secundum suam capacitatem, Iudæo per scripturam Gentibus per miracula. Sed quid facies Hæreticis nostris, qui se gloriantur habere scripturas & in ipsis vitam æternam? quomodo illos iuabis ut inter se tam dissentienter unam tractantes scripturam revertantur ad tuam Ecclesiam? credo quod eis præparasti sensum tuæ scissuræ tanquam optimum condimentum salutis. Sane illud qui gustarunt omnes ad tuam Ecclesiam poliminio redierunt, qui autem ad illam suorum scissuram oculos clauferunt mirum non est si foris manserunt, & manent. Tu eis dedisti cognitionem, quâ, si vellent, possent fugere à facie arcus.

§. 171. *Et milites quidem hæc fecerunt. v. 24.*

Omnia crudelia & horrenda in Christum, quæ usque huc in passione eius enarrata fuere, capiendo eum, ligando, illudendo, verberando, alapas dando, flagellando, spinis coronando, cruci clavibus affigendo, super vestibus sortem mittendo, ista sententia concludit S. Ioannes, quasi vellet dicere non tamen impune & multo minus impune sacerdotes, Pharisei, Scribæ, Seniores, Pilatus & Herodes, verum tamen horum iudicium recte transmittit ad tribunal Dei, & se mox convertit ad ea quæ Christus & eius amici egerint narranda, quæ tamen ipsa Passionis gravis experientia Domini

**D**omine Iesu Christe ego pro parte mea, tibi gratias ago pro omnibus quæ hæcenus in Passione tua consideravi; & quæ ego non adverti, & in gratiarum actionem, offeram tibi in dies sacrificium missæ, in quo agitur memoria huius Passionis, quæ omnium gratiarum tibi est gratissima, dicente te, Hoc facite in mei commemorationem.

6. 172. *Stabat autem iuxta crucem Iesu mater eius. v. 25.*

Hic S. Ioannes digreditur ab inimicis ad Christi amicos, qui tanquam testes & Christo fideles eum secuti sunt, lamentantes & condolentes, ad crucem, & à matre Iesu initium facit, dicenti *Stabat autem iuxta crucem mater eius*: stabat quia nunquam illa cecidit, nunquam defecit, nunquam nutavit; sed tanquam columna immobilis semper stetit, & inter turbines violentissimos & torrentes dolorum imperterrita fuit, nec vacillavit, corde ruminans continuo dolores filij, parata pro ipso crucem ferre & omnia tormenta sustinere, imo & mortem. Stabat ergo corpore, stabat mente, stabat cordis erectione, stabat fidei integritate, spei celsitudine, charitatis perfectione, stabat virtutum omnium culmine; Non eius fidem aut spem aquæ multæ inundantis tribulationis potuerunt extinguere, nec charitatis fervorem flumina obruere, Amicis deserentibus, discipulis fugientibus, qui debebant tanquam viri robusti in prælio stare, pane cælesti antea confirmati, Ecclesiæ columnæ futuri, ipsa sola vere mulier fortis fortiter stat, & societatem exhibet filio pendenti in cruce, brachiis extensis orbem dimittenti, & pavidos ac fugientes ad societatem prælij & triumphi revocanti, ac reversuros excipienti. Stabat tanta in cordis amaritudine in tanto dolorum torrente, tot in corde vulneribus sauciata, quot per corpus filij erant sparsa, & toties secundam animam Simonis gladio transfixa, quot in eum impia resonabant verba. Intelligit hoc qui mater suam in proles novit affectum, sed dolor iste quoque valde adhuc cumulat, quod nullum valet auxilium ellicito præstare. Cernit vulnera, nec potest oleo fovere aut panniculis colligare, uti in circumcissione; cernit cum lacrymis fluentem undique cruorem è carne rubricata, nec linteo valet extergere, aut in sinum suum colligere, ne in terram decidat uti unctrix Maria balsamum: Cernit nuditatem ignominiosam, nec potest vel capitis velo vel fasciis tegere, ut olim in Bethleem. Audit sitientem, nec potest potare. Audit derelictum & conquerentem nec solatio potest illi esse. Videt caput pendulum nec potest sustentare. Audit blasphemias voces, nec eas potest sedare. Videt expirantem nec datur ei commori. Interim inter hæc omnia stat, totis quidem maternis visceribus liquata in flumen lacrymarum, se

R.

maxi-

maxima tamen cum fortitudine & constantia. Impetus Passionis Domini tantus fuit ut quasi torrens ipsum patientem dolore impleteret: sed ipso impleto iam in matrem defluebat pleno cursu; ut & ipsam impleteret. Denique & ab ipsa iam impleta rursus refluebat in filium. Sic ubi erat reciprocatio amoris respiciebatur & reciprocatio doloris, quia ab utriusque corde in cor utriusque vicissim refundebatur amor & dolor inexplicabilis, amor mutua charitatis & dolor mutua compassio.

**O** Languores Domini Iesu! ô profundam dolorum matris abyssum! Eia mater fons amoris, me sentire vim doloris fac ut tecum lugeam: fua mater istud agat crucifixi fige plagas, cordi meo valide: fac me vere tecum flere, crucifixo condolere quoad usque vixero: luxta crucem tecum stare, te libenter sociare in planctu desidero.

§. 173. Et soror matris eius Maria Cleopha, & Maria Magdalena. v. 25.

Adducit hic Evangelista & alios tanquam ferventiores in Christi amore, Mariam scilicet, Cleopha uxorem & matrem S. Apostoli Iacobi Minoris, cognatam B. Mariæ Virginis vel. affinem denique Mariam Magdalenam, individua comitem Virg. Mariæ quæ fuit ex Magdalo arce, & de qua 7. Dæmonia eiecerat Iesus. Hæ sicuti in vita ei continuo adfuerant & adhæserant, ita in morte eum non deseruerunt. Præstantes officium veræ amicitia, quæ non deserit amicum hyemali adversitatis tempore, sicuti hirundines & aliæ aves multæ transmigrantes, pro sua opportunitate. Hæ vident amicum Iesum, benefactorem suum in Calvaria monte, inter spurcitas & fœtores cadaverum, ceu in sterquilino pendentem, exulceratum, confixum ac velut leprosum à vertice ad calcem percussum adstant ei, & cum aliter non possint, lacrymis vulnera eius unguunt, in silentio confidunt tanti viri miseria, qui tamen divinitatis & maiestatis fulgore ac potentia omnem à se propulsare valebat caliginem calamitosam, sed tunc ei nostræ salutis causa totus involvebatur.

**O** Qualis fuit iste aspectus! qualis iuxta statio viri & mulierum! credo quod illis purgatus sit ille nefandus aspectus, quo se solent venereo intuitu aspicere filii huius sæculi. Credo quod illa statio purgatae sine stationes illæ infandæ, quæ per orbem fiunt inter viros & scæminas luxuriam sedantes. O quam caro steterunt tibi Domine Iesu illæ carnalium hominum nudæ conversationes, & in plâteis, & angulis, & templis consistentia, & confabulationes! quæ tam acerbè in hac assistentia mulierum piarum iuxta te nudum, & silentem purgabatur.

§. 174.

§. 174. Cum vidisset ergo Iesus matrem & discipulum stantem. v. 26.

Pergit Evangelista in materia pulcherrima, quanquam dolentissima & mirando encomio celebrat D. Virginem, quam ostendit iuxta crucem ex una parte, dolentissimam, ex altera divinæ ordinationi subiectissimam, unigenitum suum, ut olim Abraham in figura, Deo patri immolantem & pro salute mundi offerentem non longe sed prope, & corde suo cordi unitam crucifixi. Vidit Iesus matrem, Habuerat hæctenus laudem sexus virilis, quod fuisset in serie viror qui filium suum unigenitum, & quidem promissionis tantæ, quod in eo essent omnes gentes benedicendæ, paratus fuerit offerre, at illa die eam laudem amisit superatus, à fœmineo sexu tanto excellentius, quanto maternum pectus tenerius virili amat prolem. Accedit, quod Abraham sola destinatione obtulit Mariæ ipsa fecit. Abraham obtulit iam dignum morte, Maria ipsam vitam æternam. Iste hominem putum ex Adam peccatorem, illa Deum hominem mundi, & ipsius Abrahamæ redemptorem. Olim Agar in solitudine videns filium Ismaelem præ sitis & æstu ac fame morti vicinum, reliquit puerum subiter unam laborem & abiit, & sedit è regione procul quantum potest arcus iacere, dicens: *Non videbo puerum morientem, & sedens contra levavit vocem suam & fleuit.* Amabat enim filium suum Agar, sed non erat tanti animi tantæ que constantiæ ut eum morientem valeret intueri: sufficiebat ei, quod recessu & lacrymis affectum suum maternum levaret: foret enim ei intolerabile videre & audire extremum morientis filij singultum. Non sic Maria, quæ tamen longe magis filium suum amat, quam Agar suum, sed plena amoris plenaque constantia, non relinquit filium sub arbore, sed in arbore, & non sedens sed stans iuxta, non oculos avertens, sed advertens.

Quis ò mater pijsissima immensos animi tui angores internamque afflictionem tuam effari aut mente concipere digne queat! quem enim sine dolore, cea mater benedicta, genuisti expers maledictionis Eux primæ parentis, & quem pro molestissimi laboris angustijs spiritus iubilo divino petrusa profudisti inter recreationem suavissimamque melodiam Angelorum laudantium filium tuum, eum nunc tanta crudelitate & tyrannide tuis in oculis occidi conspexisti, ut iam dolor ille quem tunc feliciter evasisti, multipliciter sit compensatus. Sed quid mirum! quia iam posterius genitos filios tuos enitebaris, nimirum omnes erudituros & salvandos per filium tuum, quorum iuxta crucem stans facta es mater spiritualis. Transeat igitur, quod sit magnus dolor patientium filium vel gemellos etiam in te, ò virgo divina necessario fuit tantus dolor quantum requirebat

R 2

paucis



paucis horis totus mundi fideles eniti. O mater misericordiae, quod me quoque tunc enixa sis spiritu, & facta sis mihi mater suavitatis cui ego sum filius doloris, benedico te, & in dies tibi merito dico: Ave Maria gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. & benedictus fructus ventris tui Iesus. Fac obsecro ut ego fructus cordis tui dolentissimi sum tecum & cum filio tuo benedictus.

§. 175. Et discipulum quem diligebat, v. 26.

D. discipulus ille erat Ioannes Evangelista, qui scripsit Evangelium hoc, & testimonium verum perhibuit passionis huius, & rerum in ea gestarum pro salute mundi, humilis discipulus, humilis magister, non querens gloriam & iactantiam alias nomen suum hic magnifice depinxisset, *filius* Patris Zebedaei, & Salomes matris, qui & ipse cruci vicinus stabat & matri Iesu, adeoque Christum secutus ad crucem usque, qui & materie dedit erga Christum dilectionem, quam caeteri discipuli dum pericula contempserunt, in qua iuxta crucem poterat incidere, ideoque eidem maiorem exhibuit Dominus dilectionis praerogativam, qua dilectissimam sibi matrem ei commendavit & ipsum matri. Sed quare iste Ioannes, exprimens nomina aliorum adstantium, suum nomen etiam non expressit & utique non absque ratione & mysterio, quoniam ipse eo tempore non suam solam sed magis aliorum absentium agebat personam, nimirum omnium Christi fidelium, iisque ad consummationem saeculi imo eorum etiam qui iam decesserant in gratia Dei. Pro his quippe se ille pie & devote supposuit, dicens in corde suo: sane hic omnes homines adesse deberent, & Passionis Dominicae fructum sibi rapere. Quod igitur illi modo nesciunt & non possunt, ego volo supplere, Domine Iesu dilectissime cordis mei, ego hic loco & vice omnium assisto & compareo, de tua Passione mensuram singulis necessarium depono & accepto. Tu me omnium nomine postulante, legatum admittes, & dimitte ditatum. Haec erat causa genuina propter quam suum nomen omisit proprium, & commune ex officio posuit.

O S. Ioannes Dei Apostole & praerogativa quadam dilecte, ego tibi & gratias debeo & laudem. Laudem propter tuam excellentiam, gratias propter tuam in me peccatorem Adae filium beneficentiam, quod te pro me sub cruce substituisisti, meam personam egisti. Merito igitur nomen tuum nescio quid dulce omnibus fidelibus sapit, quia post Christum & B. V. matrem eius, aliquid singulare tibi omnes debent. Tua castitas laudatur & videtur ex imitacione merito, sed tua eminentia mihi sapit caritas in omnes & in Deum

in Deum fac obsecro ut nunquam à te redamando deficiam, imiter in caritate, sed adhuc magis in caritate, donec occurram tibi in plenitudine lucis & dilectionis æternæ. Amen.

§ 176. Dicit Matri suæ mulier, Ecce filius tuus. v. 27.

Cum staret mater Iesu iuxta crucem corpore & animo, facie ad faciem filij conversa, uti luna ad solem & eius dolores in se exprimens magis eligens vel portare dolores vel cum ipso mori quàm post eius mortem ulterius vivere pulchre, filius eam novis filijs beavit; nam S. Ioannem, qui se iuxta crucem omnium fidelium, maxime caste viventium nomine constituerat matri commendavit & in filium delegavit, & sic in eo omnes homines B. V. dedit in filios doloris sui.

Quid hic facies ista recogitans anima mea? vis tibi gaudere? sed plus est, quod omnes homines tecum ceperunt tantum boni, ut fierent sub cruce B. M. V. filij secundo geniti, fratris primogeniti Christi, in S. Ioanne virgine virgini Mariæ commendati. Vis gratulari omnibus hominibus quod talis matris sint facti filij, communicantes in S. Eucharistia sanguini & carni de B. M. V. assumptis? sed urget magis gratiarum actio ad D. N. Iesum Christum qui hoc mirandum opus fecit, ut fieremus filij virginis Mariæ, & ipsa esset nostra mater. Sed & urget gratiarum actio & honor debitus V. Matri, quod tam abiectos homunciones ipsa non fastidierit assumere in filios. O quanta mysteria nobis S. Ioannes proponit in suo sermone! Deficimus omnia explanare nequimus. Bonum est hoc nobis redundare in nobis pietatem Dei.

§ 177. Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua. v. 27.

Quia condebat de cruce testamentum Christus & matrem moriens desolutam non reliquit, sed non amici sui Ioannis & cognati est oblitus, iuter matrem & discipulam dividere pietatis officia, quo ad ipsorum personam, sed si mysterium huius dispositionis testamentariæ profundius inspicimus grandius quid sonant ista Christi verba. Nam uti B. V. in persona S. Ioannis dedit omnes homines in filios spirituales; ita ob eam necessariam coherentiam, nos omnes in S. Ioannis persona voluit B. V. assumere in matrem. Tibi igitur & mihi, ô Christiane, in cruce dixit Dominus, de B. V. intelligendo: *Ecce mater tua*. Quid hoc verbo amœnius interpretatum lætitiæ nobis dici potuisset? quid utilius?

R 3

O Deus

O Deus, o dulcissime Iesu, unde mihi tantum bonum, ut matrem tuam facias etiam meam! excedit hoc donum, captum meum, da mihi igitur spiritum veri eius filij, ut ita vivam & agam, sicut talis mater desiderat & meretur. O mater sanctissima, cum sim certus a deo te filio tuo esse obedientem, ut statim officium matris acceptaris, *Monstrare esse matrem*, sed multo magis ora pro me, semper ut me filium tuum opere verbo & cogitatione esse demonstrem.

§. 178. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua. v. 27.

Hora scilicet prima post meridiem qua commendavit Joanni Matrem Christus à cruce, & ipse hora tertia post mortuus est, accepit Ioannes matrem Iesu in suam protectionem, curam, & officia, ut nihil illi desset sive in victu, potu administratione, obsequio, aliisque necessariis vitæ, & piæ conversationis & consolationis, usque ad ultimum vitæ spiritum & gloriosum eius sepulchrum ab anno ætatis circiter 48. usque 63. Verum quid opus erat uti tam sedula commendatione, cum Christus esset in proximo (scilicet tertia die resurrekturus, & ad suos rediturus, pro ut cum revixit, tum se vivum in multis argumentis exhibuit per dies quadraginta apparens eis. Circa hoc igitur nota, quod, pro carnis conditione, non erat inter discipulos & familiares commoraturus, sed per temporum intervalla sui conspiciendi copiam facturus loquens illis de regno Dei, ideo ne videretur aliquid imprudenter omittere, moriens omne pietatis officium in matrem perfecit: Accepit ergo Ioannes eam in sua officia, tanquam esset Mariæ filius omnium obsequentissimus, merentem solabatur, & quidquid excogitare potuit esse illi ad vitæ consuetudinem commodum, subministravit, qui plus tamen erat à Deipara accepturus quam ei dare posset. Idcirco præstantissimum & nequaquam penitendum hoc legatum ilico & cum gaudio accepit. Sed quare omisit S. Ioannes dicere, quid B. V. fecerit, an illa Ioannem filium & in illo omnes nos acceptaverit, & magis hoc de se, quam de illa dicere curavit? Uti que propterea quod de B. M. V. parte dubitari non poterat, quin dilectissimi filii tui voluntati & postulato, maxime in illa hora, amantissime obsequeretur, ut omniam impossibile fuisse, matri illi non esse misericordem, quæ & gratia plena est, & in qua ipsa pietas novem mensibus corporaliter habitavit. Quia igitur ex parte nostri magis erat dubium, an teneret contractus legati mutui factus, ecci Ioannes pro sua persona primus præisse notatur, ut quisque nostrum animose sequatur.

Domini

Domine Iesu Christe, qui diligentibus te bona invisibilia præparasti, corda tibi matricque tuæ famulantium ad bravium supernæ remunerationis accende, & peccatoribus illapsus, gratiam, qua in tuo & sanctissimæ matris tuæ semper virginis servitio perseveremus, infunde, quo protectionis tantæ muniti præsidii quod te Domine donante concepimus, exequamur, & ad promissa in bono constantibus præmia aliquando pertingamus. Et, *ô Domina mea sancta Maria, me in tuam benedictam fidem ac singularem custodiam & in sinum misericordie tuæ hodie & quotidie & in hora exitus mei animam meam & corpus meum tibi commendo, omnem spem & consolationem, omnes angustias & miseras meas, vitam & finem vitæ meæ tibi committo, ut per tuam intercessionem & per tuam meritâ, & omnia mea dirigantur & disponantur secundum tuam cuique filii voluntatem, & meam necessitatem. Amen. Vel uti Sodales B. M. V. apud Societatis Iesu Patres profiteri solent. S. Maria mater Dñi & virgo Ego N. N. te hodie in Dominam, Patronam & advocatam eligo firmiterque statuo ac propono, me nunquam te derelicturum neque contra te unquam aliquid dicturum, aut facturum, aut permisurum ut à meis subditis aliquid contra tuum honorem unquam agatur. Obsecro te igitur suscipe me in servum perpetuum, ad sis mihi in actionibus omnibus meis, nec me deseras in hora mortis. Amen.*

§. 179. Postea sciens Iesus quia omnia consummata. v. 28.

Nimirum, quæ ab ipso consummari debebant vel actu antequam moreretur, vel virtute aliqua iam posita, undè postea suo tempore effectus actu proditurus esset, pervidens Iesus iam esse bene disposita, & paucissima actu, antequam moreretur, consummandâ restare ad illa se accinxit, ut fortis, absolvenda, uti videbimus. Quæ vero illa essent quæ iam consummata erant pene infinitum esset dicere, vel enumerare utpotè tanta quanta teste S. Ioanne in omnibus libris mundi scribi non possent, & idè ea enumerare debeo super sedere. Consilium tamen do posteritati, ut si quis velit, utiliter possit ex una parte ponere prophetias omnes & figuras de Christi Domini rebus, & ex altera parte res ipsius, nempe acta, & dicta, in quo genere iam quidam, uti Baeza Soc. Iesu sacerdos, prævit, qui de Christo figurato in veteri Testamento, Tomos sex in lucem emisit. Ego interim moneo Lectorem, ne Christum D. autemet Scripturæ alligatum fuisse, sed ipsi Scripturam, idè enim de eo scriptum erat, quia ipse sic facturus erat, & Iudæis habentibus scripturam istam, cum nimium adhærent scripturæ (ita fieri solet in rebus humanis, ut ægrè medium teneatur, sed ad unum extremorum à medio pronissime declinat) ipsa scriptura identidem ab  
Domi-

Domino & ab Apostolis obiecta est, ut qui oculos clausissent ad alia lumina, per hanc saltem, ad eum sibi pertinaciter dilectum, viderent ipsum quem persequerentur esse Messiam, verè à Deo missum mundi Salvatore. Quando vero cum gentilibus erat agendum, nequaquam scriptura agebat Dominus vel Apostoli (hoc enim ridiculum fuisset, ex ignoto principio ipsis probare ignotum, & ex non admisso, ad admitendum, id quod nec citè, inducere) sed agebant ex luminis naturæ principis à Gentilitate tota admissis, item miraculis supra naturam paratis. Et hoc est quod S. Paulus insinuat dicens, Iudæum ex lege ipsi scripta Gentilem sine lege ea iudicandum esse, non tamen sine omni lege quia lex naturalis rationis in omnibus est impressa. Patet igitur quam ridicule agant hæretici, qui nihil verunt credendum esse vel agendum nisi sit in sacra Scriptura, Bibliorum scilicet textu, descriptum. Si namque hæc regula, si ita ab ipsis, ex scriptura nusquam monstrata, esset vera maiore eorum gentiles, nunquam ad fidem pervenissent. Sed mittamus cæcos hos.

**T**U Christiane Catholice, memor esto, quod iam recepta scriptura per tuam fidem, ut Dei verbo, sic omnia in ea scripta, ut non consummata hæcenus, porro de te sint consummanda, sicuti de Christo & Ecclesia sua omnia fuerunt consummata, ita ut nec apex nec iota unum omittatur. usque ad hodiernam diem, inquit S. Aug. omnia evenerunt, sic & que restant evertura sunt, timeamus diem iudicii, venturus est Dominus: qui venit humilis venit, excelsus. Et quidem nos maiora habemus argumenta ad credendum ea, quæ in scripturis eorum prædicuntur, quam veteris legis homines. Videmus enim iam plurima fuisse adimpleta sicut prædicebantur. Diluvium v.g. generale quia illi nullam adhuc viderant, non facile credebant, aliquid futurum. Nos vero qui scimus impletum esse: quomodo non credemus futurum etiam aliquando diluvium (ut sic dicam) ignis in novissimis siquidem id expressissime nobis prædixit Dominus Matt. 24. sicut in diebus Noe, ita erit adventus filii hominis, sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes &c. ita erit & adventus filii hominis. Si revera Indæorum excidium contigit, sicut à Christo eis prædictum est. Quomodo non credemus quod idem nobis prædixit, de omni verbo otioso reddendam esse rationem Deo. Matth. 12. Et si de otioso verbo, quid fiet de pernicioso? quid fiet de blasphemo? Et si hoc de verbis quid fiet de factis? An forte impleri debuerunt quæ scripta sunt, de tormentis filij, & non implebuntur quæ scripta sunt de condemnatione servi! Absit. Itaque sumus inexcusabiles, respectu eorum qui præcesserunt Christum, Neque existime-

mus satis esse si credamus esse ventura quæ ventura prædicuntur: nisi eadem fugiamus, si mala sunt, & faciamus, si bona. Quid enim prodest credere Architecto ruituram domum nisi inde te protipias? credere medico non bibendum vinum? si interim non abstineas.

**O** Quam certa erit dies iudicij à Sophonia prædicta! dies omnium mortalium oculis spectanda & ab impijs certo certius expectanda, dies omnium pene prophetarum oraculis prænuntiata, vt nullo sæculo à memoria & mente fidelium posset excidere, dies illa in noua Lege rursus Evangelicis & Apostolicis scriptis multoties inculcata, dies illa in officijs Ecclesiæ sanctæ continuo representata & decantata, dies illa quæ continet omnes dies præcedentium sæculorum quandoquidem de illis tunc ratio sit reddenda, dies illa ad quam omnes dies tendunt & in qua finientur omnia tempora, & omnes dies: dies illa quæ tot præcedentibus angustijs parturit & tandem parit æternitatem dierum nunquam finiendam, dies illa quam exspectat omnis Creatura ingemiscens vt liberetur à seruitute & corruptione, quia vanitati subiecta est non volens, hoc est mutabilitati variæ obnoxia, peccatoribus, & peccatis quasi inuita seruiens: dies illa quam Ioannes Baptista præco Christi in deserto forti voce & zelo in clamabat: dies, inquam, in qua veniet ille, cuius ventilabrum in manu eius vt purget aream suam: dies illa quam Angelus Apocalypsis volans per medium cælum & habens Euangelium æternum annuntiat sedentibus super terram, insonans. *Time te dominum, time te Dominum quia venit hora iudicij eius: dies illa quæ per excellentiam sacris in codicibus appellatur, Dies Domini, quia tunc Dominus suam ostendet potentiam, iustitiam, dominium vindictamque erga impios. O diem magnum & amarum valde.*

§. 180. *Vt consummaretur scriptura dicit sitio. vi28.*

Cum immediate dixisset Euangelista, Christum Dominum in passione sua impleuisse omnes prophetias, figuras, mysteria, scripturas, sacrificia, atque promissa quæ de ipso scripta dictaque essent, superaddit, quasi adhuc pauca complenda nimirum sitim Christi & ipsammet mortem de quibus etiam propheta prædixerant. De qua siti non est mirum si credamus fuisse in Cruce immanem quippe ex tanta emissionem sanguinis, & vi tormentorum, ex longa & lenta morte corpus Domini exhaustum erat & exinanitum. *Arui aiebat David tanquam testa virtus mea & lingua mea adhasit faucibus meis;* Christus in cruce voce miserabili exclamauit, *sitio*, nullus tamen misertus est ei, & hoc cor Virgineum haud dubie nouo dolore transf-

S

uer-

erberauit, cum ipsa in Crucem non posset ascendere, quod velle, vè saltem fluentibus lacrymis linguam aridam vel tantillum refocillare.

**O** Sitis Domini Iesu in Cruce intemperantem in me appetitum bibendi mortifica: Tu linguam proprii doloris & tormenti haec us fere expertem amarius, quam Fulvia Antonij linguam Ciceronis aciculis confixisti cum tam patiens clamauit de te, *Sitis*. **O** Consummatio tormentorum, nobis ingens causa gaudiorum in æternum. *Potest tamen adhuc alia causa cogitari cur ita dixerit Dominus, nempe supernaturalis & vehementer atdens in ipso zelus, quo sitiebat gloriam patris & ad voluntatis eius impletionem: anhelabat, vti enim aiebat, meus cibus est vt faciam voluntatem eius, qui misit me,* ita & potus eius erat dicere ea quæ Patri placerent. Hinc vt Cervus ad fontes aquarum, sic anima Iesu à primo instanti anhelabat ad Crucem: *baptismo, inquebat, habeo baptizari & quomodo Coardior vsque iam perficiatur, Sitiebat & nostram salutem, lacrymas pœnitentium, & conuersionem animarum.* Cur enim, vt explicat D. Bernardus, oblatum poculum noluit bibere, nisi quia aliam aquam bibere cupiebat, sicut offerentibus cibos discipulis, alium inquit habeo cibum manducare. **O** Domine Iesu excita obsecro in me lacrymas compunctionis, quibus cor tuum subitum refrigerem, antequam in morte lingua mea marcescat.

§. 181. *Vas autem erat positum aceto plenum, v. 29.*

Tantam inimicitiam, quantam in Christum Iudæi conceperant, nemo vnquam vel credere potest vel exercere. Statutum erat vt damnati aromatico ac dulci potu reficerentur, quo suas obliuioni pœnas darent, sed isti sceleratissimi vinum hoc bonum biberunt, & Christo acerbissimam confecere potionem ex aceto & felle mixtam quam virulento suo corde excogitarant, & illam potionem sponte sua posuerant & secum portarant in tormentum maius Christi, casu quo peteret hauustum ad sitim leuandam in mortis hora. non ignorantes ardentem eius sitim futuram ex diuturna inedia, nam à Cœna nihil gustarat & per se ex raptatione continua, ad diuersa loca & tribunalia, ex corporis exhausti vitium agitatione & excarnificatione, ex sanguinis effusione copiosa in Oliuarum hortu, ad columnam flagellatione, coronatione spinea, gestatione crucis, Crucifixione. In huius ergo maligni vas & pessimi potus consideratione S. Augustinus super Ioannem ait, quod purum, quod mundum, quod lapidum in Synagoga erat, iam desierat & in fœces acetumque commutatum erat: atque ideo nihil aliud Christo nisi fel acetumque ad bibendum

Synag.

Synagoga parauit: ostendens non solum se dare quod in se haberet, sed etiam quod ipsa esset. Quid enim erat Synagoga aliud, quam amarum acetum & letale fel? Certe non sine peculiari mysterio hæc parata sunt Christo: ut enim fel pessimum est, & vilissimum in animalibus, ita quoque tum temporis, in ultimo nimirum articulo vitæ suæ, nihil aliud Synagoga, quam fel malitiæ & acetum inuidiæ fuit.

Vnde tantum mali vobis, ô Iudæi, obuēnit? quare vestrum bonum vinum in amarum acetum commutatum est? quare mel vestrum in fel transiit, & vinum vestrum in acetum? Haud dubie cum Redemptorem vestrum Christum, non suscepistis; tunc mel vestrum in fel degenerauit, cū doctrinam quidem eius audiistis, & nihilominus vitam illi ademistis. Sane valde misereor Synagoga, quod cum olim holocausta & sacrificia acceptissima Deo immolasset, nunc tandem fel amarumque acetum adoleat: illo enim supremo suo sacrificio Creatori vitam ademit, & seipsam omnino extinxit: sed quid queror? Non in cruce tantum à Iudæis Dominus Iesus huiusmodi acerba potione cruciatus est, sed indies adhuc æquè felle & aceto affligitur ab illis, qui eum peccatis & sceleribus suis exaspere non verentur. Præcipue vero à Christianis omnibus qui veritatis quidem iter ac Dei voluntatem exploratam habent, nec tamen faciunt quod deberent. De his queritur ipse, dicens. Ego plantavi te vineam electam, & sepivi te fidei muro: & edificavi currim sublimis contemplationis mea in medio tui, & lapides elegi ex te, id est, Martyres, sanctos, atque doctores qui in Ecclesia fundamento sunt collocati, quisque viam vitæ & veritatis te verbis & factis docuerunt, & quid est quod ultra debui facere tibi vinea mea & non feci tibi? quomodo ergo conuersa es in amaritudinem, in qua excolenda tantum opera & studij posui: quam tam excellētis mihi pretio comparavi. expectaui ut faceret vnas dulces feruentis amoris, fructus bonorum operum, & tu mihi profers fel & acetum, spinas & tribulos: bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum, & malus homo de malo thesauro profert malum. igitur Christo instar Iudæorum vinum præbent felle mixtum peccatores illi, quibus adhuc voluntas adiacet male agendi, qui tamen si bonâ faciunt opera, sunt tamen felle amarissimo infecta omnia, & corrupti ac vitiosi trahunt vasis saporem, tali felle abundabat Simon Magus cum ei diceret Simon Petrus: *In felle amaritudinis video te esse, & cor tuum non est rectum coram Deo.*

**D**omine Iesu, qui peccatorum nostrorum amaritudinem in passionis tuæ acerbitate gustasti, sed reatus eorum culpam non bibisti, quia peccatum non fecisti: da nobis amaræ tuæ mortis antidoto & à peccatorum



gustatu desistere, & pro commissis libenter pati & satisfacere,

§. 182. *Isti autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes obtulerunt ori eius, v. 29.*

Esurienti in deserto dæmon obtulit lapides. redienti de Bethania siculnea nihil. Samaritana sitienti pro haustu aquæ disputationem. in Cruce extremam suam patienti acetum propinatur, & Hi sunt deprauati actus malignantium Iudæorum, hæc eorum crudelitas & ingratitude omnium maxima qua in supremum benefactorem vsi sunt. Sed quid egistis cum hyssopo, spongia & aceto Iudæi, siue Iudæorum administri, profani milites. Euangelista testatur, quod cum Dominus clamasset: *Heli, Heli, Deus Deus meus*: quidam de circumstantibus audientes & non intelligentes vel iridentes dixerint, *Eliam* vocat iste; sed quid sibi vult, quod vnus et vobis acceptam spongiam impleuit aceto, & imposuit arundini & dabat ei bibere: cæteri vero dicebant; *sine*, videamus, an veniat Elias liberans eum. An timentes ne Elias eum liberaret, mortem eius aceto porrecto accelerandam putastis! an vero expectandum & videndum, maioris irrisiois gratia, an Elias veniret, quem aduocatum existimatis?

**H**eu, Heu? nos in Iesum diriores, si pænitentia, si Compassionis, si amoris, si bonorum operum portionem ei fide offerimus. Nos potamus eum aceto & felle ingritudinis & obliuionis, ille offert Christo intellectum suum aceto permixtum, qui in aliud quidpiam, & non in Deum suas cogitationes transfert. Ille Domino Iesu memoriam suam myrrha permixtam offert, qui eo solum suam conuertit memoriam, vt vitam sensualitatis quietam possit ducere: ille voluntatem felle adulteratam offert qui Creatorem suum à se sumouet, & temporalibus rebus per amorem affigitur: ille cor hyssopo temperatum Deo offert, qui quidem libenter Deo interuine vult, & nihilominus voluptuarie viuere decernit: ille opus bonum offert in arundine qui illud ipsum ex vera vana gloria facit: ille vitam suam Christo offert in spongia, qui instabilis est & fluxus, ita vt in tempore tentationis etiam levis statim bonam vitam & opera perdat. denique dico illum Christo amarum potionem offerre, qui fide Christianum se exhibet, operibus vero gentilem. Qui vero Christo Iesu purissimum atque suauissimum præbent vinum, hi sunt homines bene mortificati ac resignati, qui in cunctis suis operibus solum Dei spectant honorem, nec vlpam seipso quærunt. *Isti veri sunt filij Dei, qui naturalis suæ generatio-*

nis oblitum sunt, quo Deum patrem habere mereantur; acceperuntque spiritum Dei clamantem Abba pater, quod nemo utique ex spiritus testimonio & sententia dicere potest, nisi sit filius Dei, hi nec mortem verentur nec infernum nec hostem nec homines, neque lacra neque damna. Totos namque se Deo dederunt ac funditus resignarunt, & gratum est eis quidquid illis facere volet Deus, & in tempore & in æternitate, quandoquidem omnem iam timorem seruilis & mercenarium amorem devicerunt, in præclaram spiritus assumpti atque translati libertatem. Hi quæcunque infra Deum sunt omnia, ut stercora, spreuerunt, quo Christum lucrifaciant, qui iam tum vixit in eis & cuncta eorum opera operatur in ipsis. Ipse fodit, plantat, rigat, euellit, dat incrementum: & ipsi velut bonum ac subditum instrumentum & ager obtemperans, Deum suum intra se, atque secum operari sinunt: Itaque sunt velut hortus irriguus, & ager plenus cui benedixit Dominus: feruntque vinum longe suavissimum, lætificans cor Iesu Christi. Etenim à naturali sua ac infœcunda radice abscissi, atque præclaræ illi vineæ, quæ de corde Patris procedit, atque ex illius pectore sumit alimoniam, insiti sunt. Denique hi Christum adeo inebriant, cælesti necitare, ut quidquid velint facile impetrent ab eo, ita ut ipse fateatur: *falsus sum quasi vir ebrius & quasi homo madidus à vino.*

§. 183. *Cum ergo accepisset Iesus acetum dixit. v. 30.*

Quæstio cur illud fel & acetum gustare voluit Christus: nisi ut quemadmodum nulla pars corporis in peccatoribus est libera à peccato, similiter nulla esset sui corporis particula quæ non tormentis & doloribus attrita foret, prius per totum corpus erat iniurias passus, in capite per spinæ diadema: in facie per ludæorum sputa: in genis per alapas: in manibus pedibusque per clauos: reliquus corporis habitus erat percussio-nibus verberum vndequaque saucius: & super dolorem eorum vulnerum hoc etiam addiderunt ut lingua pro cruciatu fel acetumque gustaret.

**G**ustasti Domine: sed postquam gustasses noluisti bibere, ne tibi ipsi mortem accelerares. Absynthij, fellis & aceti tuæ passionis, nos esse memores æquum est, atque etiam tecum aliquid pati: sed peccata, pro quibus hæc passus es auerfari nos hac tua auersione docuisti: Quis enim gustabit prudens, quod gustatum adfert mortem? si mundi peccatique amaritudinem, peccatoribus & mundo labenti succurrendo, sic degustasse sufficiat, nihil inde voluptatis admittendo, neque malos peccatorum humores & mores imbibendo vel incorporando.

§ 3

§. 185.

Iam ad extremum Iesus passus fuerat, iam totum fuderat sanguinem, iam exsaturata inferni rabies, iam patris iustitiæ in rigore satisfactum, iam omnia hominum peccata in mari rubro passionis submersa erant, iam propitiatio totius mundi pene in Cruce peracta, quid igitur supererat, nisi ut extremam manum operi redemptionis imponeret & hoc verbo clauderet. *Consummatum est.* Multiplex sane fuit consummatio à Christo Domino peracta, omnium Dei promissionum Prophetiarum & figurarum totius legis antiquæ, cuius umbræ dissipatæ sunt adueniente sole veritatis, hoc erat mysterium ad quod lex tota anhelabat, hoc sacrificium quod innocens Abel occisus, quod Noe mundam in arca saluens, Isaac immolatus, Ioseph à fratribus venditus, agnus paschalis manducatus, & aliæ figuræ representauerant: iam omnia sunt impleta, iam exclamar: consummatum est. 2. fuit consummatio æterni decreti & omnium Dei operis voluntatum super singula momenta vitæ, & passionis Christi: vnde in cæna suprema sua dicebat, *Opus consummaui quod dedisti mihi ut facerem & nunc dico consummatum est,* quasi dicat, O Pater æternæ, feci omnem voluntatem tuam, nunquam mandatum tuum præterui, consummaui omnia de me dicta, scripta & prædefinita in consilio tuo, obediens tibi usque ad mortem. Ecce totum consummatum est.

**V**erum præter has consummationes animaduerti adhuc aliquod aliud mysterium consummationis nomine indicari. Quia v. 25. ait S. Iohannes, *sciens Iesus quia omnia consummata sunt, ut consummaretur scriptura, dixit: sitio.* Quid enim est hoc, omnia consummata esse, & adhuc ut consummaretur quiddam agi? Dicam quod sapio. Consummata erant omnia quæ quoad Ecclesiam suam agenda erant ante mortem Domini. Sed quoad Synagogam non erant omnia consummata, quare non? quia ipsa debebat reprobari ut intraret Ecclesia. quomodo igitur reprobata est? præbendo acetum, tunc enim demonstrauit se degenerasse & interitu dignam, cum acetum pro vino & sicera dedit. Hoc ex parte Synagogæ consummandum erat, ut ipsa desineret, cum iam Ecclesia in B. V. M. & Iohanne esset inchoata.

O Iesu consummator nostræ salutis, adoramus te, Deo Patri Iesus spiritum redditurus contestatur hoc verbo consummatum est, ad omnes Creaturas quod ipse ad salutem hominum omnia consummauerit, & ad ultimum terminum perduxerit, & nihil esse quod ultra facere possit.

Quid

Quid est enim, ait per prophetam, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci. Igitur ab iplo vnico salus; & perditio à nobis.

§: 186. *Et inclinato capite tradidit Spiritum, v. 30.*

Cum Saluator iam in cruce pendens Ecclesiam suam, quantum ante mortem suam opus erat constituisset, & cunctos fideles in S. Ioannis persona Virgini Matri, & ipsam in eiusdem persona omnibus fidelibus commendasset, quasi pro vltimo complemento Ecclesiæ suæ necessario & vtilissimo, & Ioanne accipiente ipsam in sua, consummata iam omnia sciret; etiam Synagogæ, dicendo verbum *Sicut*, dedisset occasionem se ipsam cum sua scriptura consummandi & accipiendi finem sicut dum dando ei acetum, ipsa de se testata est, quod ipsa iam ex bono vino degenerasset in acetum, & ideo corruptioni propinquasset, tunc demum vtraque consummatione perspecta Dominus *caput suum inclinans tradidit Spiritum*, siue vt Matthæus scribit *emisit*. Quæ verba non inuitè morientem vel coactè debilitatum iudicant, sed voluntarie se sacrificantem important, imo amorem insignem spirant, nam inclinatione illâ capitis mihi videtur offerre osculum omnibus, maxime suæ ecclesiæ in paucis personis ibi collectæ nisi quod vicarius eius futurus deerat. Ad hæc ista inclinatio indicat mihi hætenus monstratam animo & corpore fortitudinem. In aliis morientibus vultus pallorem, os liuorem, oculi languorem induunt, cor tremores per arterias & nervos contremiscentes inuit, ita vt modo oculos claudant, modo aperiant, caput modo huc, modo aliorum moueant & reclinent, donec deficientes alicubi situm relinquunt. Non sic in Domino nostro moriente apparet, iste hætenus tribus horis pendens sanguine modico & aqua circa cor remanente alias pene ex succus erecto vultu permansit, in mortis puncto moderatè inclinavit.

O Deum morientem! O vitam sub morte latentem & solem Ecclipsim patientem. sed quanti hoc instans separationis animæ Iesu à corpore putabimus fuisse apud Deum momenti & pretij? ò instans quod est instar centri omnium sæculorum & æternitatis. O quor' mirabilia facta in eo & completa! ò consummationem totius operis nostræ redemptionis & finem laborum & dolorum Iesu! ò mortem Iesu faciem æterni Patris nobis perfecte placantem! ò Iesu vsque ad mortem obediens! ò leueram hic iustitiam, quæ à filio non voluntatem solum & præparationem animi, vt quondam in Abrahamo filium immolante, sed actualem immolationem,

macta-

mactationem & destructionem huius hostiæ sanctæ & victimæ totius  
 mundi exegit, salve igitur salve tremendum cunctis potestatibus caput  
 Domini Iesu Christi Saluatoris nostri, pro nobis spinis coronatum & a-  
 rundine percussum. Salve speciosissima Saluatoris nostri Iesu Christi fa-  
 cies, pro nobis sputis & alapis cæsa, Saluete benignissimi Domini Iesu  
 Christi Saluatoris nostri oculi, pro nobis lacrymis perfusi, salve melliflu-  
 um os, gutturque suavissimum Domini nostri Iesu Christi pro nobis felle  
 & aceto potarum, saluete aures nobilissimæ Dom. Iesu Christi Saluatoris  
 nostri, pro nobis contumelijs & opprobrijs affectæ, saluete collum humi-  
 le Iesu Christi, pro nobis colaphizatum, dorsumque sanctissimum pro no-  
 bis flagellatum, saluete venerabiles Domini nostri Iesu Christi manus &  
 brachia pro nobis in cruce extenta, Salve pectus mitissimum Domini Iesu  
 Christi Saluatoris nostri pro nobis in passione conturbatum, saluete  
 gloriosissimum Domini nostri Iesu Christi, pro nobis lancea militis per-  
 foratum, saluete Domini Iesu Christi Saluatoris nostri sacræ misericordiæ  
 genua, pro nobis in oratione flexa, saluete Domini Iesu Christi Saluatoris  
 nostri pedes adorandi, pro nobis clavis affixi, salve totum Corpus Iesu  
 Christi pro nobis in Cruce suspensum, vulneratum, mortuum & sepultum,  
 salve Sanguis pretiosissime de Corpore Domini Iesu Christi Saluatoris no-  
 stri, pro nobis effuse, salve sanctissima Domini Iesu Christi anima, in Cru-  
 ce pro nobis in manus Patris commendata. In eadem cõmendatione tibi  
 commendo hodie & quotidie animam meam, vitam meam cor & corpus  
 meum, omnes sensus & actus meos, omnes amicos, benefactores, & con-  
 sanguineos meos: animas parentum, fratrum, sororum & omnium amico-  
 rum ac inimicorum meorum, ut nos protegere, liberare & defendere dig-  
 neris ab omnibus insidijs inimicorum nostrorum visibilium & invisibi-  
 lium nunc & in perpetuum, Amen.

§. 187. *Iudæi ergo (quoniam Parasceue erat) ut non remaneret in Cru-  
 ce Sabbatho v. 31.*

Quo mortuus est die Christus erat Parasceue, id est vigilia magnæ  
 festiuitatis, nempe & sabbati & Pascharis, & Iudæi solliciti de corpore  
 Christi habendo, ut & post mortem in honorarent, ignominiose sepeli-  
 rent, vel postmodum igne concremere possent, ne maneret memoria il-  
 lius; sub prætextu religionis, accesserunt Pilatum, & rogarunt, ut tollerentur  
 de crucibus suspensi, tam Christus quam latrones.

Eccc

**E**cce ita colatores isti culicum corpora mortua facere non horrebant, sed in cruce manere detestabantur sabbato, crimina & mortem animæ suæ manere in sabbato non curant, corpora mortua tolli vehementer procurant anxij & curiosi: Christum occidere non dubitarunt in petalceus sabbati, & occisa manere ante oculos in ipso sabbato horrescunt.

Authorem legis interemerant & legem seruare fingebant, honorant magnum illius sabbathi diem qui magni diei Dominum et crucifixerant; sic hi legem illam quæ tantummodo ciuitatis & humanitatis erat summo studio obseruant, interim totam legem præuaticantes. verum sic solet hypocritis suos palliare impietate. Istorum gloria magna est Domine in Religionibus, in quibus obseruantia viget ubi pro Regula obseruanda parati sunt displicere omnibus satrapis mundi & perferre quæcunque mala Eleazarus seruus ille tuus fortissimus, qui maluit mori quam vesci carnibus illicitis, simulando se manducare illicitas, isti sunt viri magni & fortiores leonibus & velociores aquilis superantes omnia impedimenta terrarum, per inuiolatam custodiam legum festinant ad optatissimam requiem tuam, sed tales non fuere hi principes Iudæorum, qui non tam sabbatum curabant, quam Christi mortem & ignominiam: vnde illi merito sequuntur re legislatorem in vitam æternam, & hi seductorem legis diabolum in mortem æternam. dirigere ergo & conseruare dignare Domine Iesu hodie & quotidie corda & corpora nostra, sensus quoque & sermones, & omnes actus nostros in via & in lege mandatorum tuorum, vt placere possimus tibi & tecum ingredi in vitam æternam, Amen.

§. 188. *Erat enim magnus dies ille Sabbati. v. 31.*

Magnus dies, qui mysteriis magnis magnus, veri paschatis dies primus. phate hoc vere transitus dicebatur tunc enim à statu peccati ad gratiam, à statu mortis ad vitam traducti sumus. Hic enim erat ille dies quam vt videret exultauit Abraham, diem hunc expectabāt patres in limbo magnus dies fuit is quem prædixit Daniel, eius dicens septuaginta Hebdomadz à breuiata sunt &c.

**M**agnus dies, quia fuit finis legis scriptæ & principum legis Evangelij & magnus dies toti orbi memorabilis, sic nimirum dies est natalitius regenerati mundi dies: in quo totus regeneratus est orbis. Memorabilem diem seruauerunt Iudæi in qua Holofernes occisus est, & hac die Lucifer communis hostis deletus est.

§. 189. *Rogauerunt Pilatum, ut frangerentur eorum cruce. v. 31.*

Crura frangi petebant, non Christo, ut pote iam mortuo, sed laetibus qui adhuc vivebant, ut magnitudine dolorum, qui iam in extremis erant, citius morerentur. Quod si Iudaei idem intenderint fieri in Christo signum est, eos sibi timuisse ob varia hominum iudicia de Christo & miraculis eius, ob quae fortasse timebant ne illuderentur & spe frustrarentur post mortem sui maximi inimici, & vineam illam occisi haeredis non retinerent sibi.

○ Iudaei, quam bene de vobis dixit iste quem occidistis nunc, quod suis sepulchra dealbata foris, intus plena spurcitia! certe id vel nunc probaris esse verum. Sed & non minus verum est, quod de vobis dixit S. Iohannes nempe vos esse genimina viperarum, hoc enim etiam probatis verum fuisse, O caeci odio & invidia & ambitione, quo usque peruenistis!

§. 190. *Et tollerentur. v. 31.*

Cum viveret liber Dominus, non quieverunt Iudaei, donec eum in cruce viderent, cum in cruce pendeat vivens adhuc eum opprobrijs saturauerunt, super titulo crucis querelas posuerunt inquieti. Mortuus demum est in cruce, nec tamen adhuc quieverunt sed ut iam tolleretur rogauerunt. Cum hoc etiam impetrassent nondum quieverunt, sed custodiam sepulchro apposuerunt, sed cum hoc fecissent magis inquieti facti sunt, quia cum militibus annuntiantibus resurrectionem eius pecunia pacisci debuerunt, & post pentecosten adhuc magis inquieti facti sunt per Apostolorum Christi miracula.

○ Miseros, & valde miseros mortales, quando se passionibus suis tradunt vel permittunt, in quandam Iliadem malorum tunc devoluunt! & quid tandem profecerunt omnibus curis suis Iudaei? nihil nisi quod dolorem & metum assidue merebant, quamdiu in passionibus suis seminare pergebant, ponamus ergo horum fortunam ob oculos ut abstinemus à talibus procedendi modis, & potius sequamur modos à Christo praescriptos, isti afferunt laetitiam & vitam quietam.

§. 191. *Venerunt ergo milites & primi quidem frangerunt crura, & alterius qui crucifixus est cum eo. v. 32.*

*Impetrata per Iudaeos venia tollendi de crucibus corpora suspensorum.*

rum, Iudæorum obsequentes voluntati milites duorum latronum, qui cum Christo crucifixi fuerunt, ut morti citius traderent crura fregerunt, adhuc viventibus, non enim tot & tanta passi fuerunt quanta Iesus, & in hoc voluntatem suam assecuti sunt Iudæi, sed non in Christo, de quo aliter Deus ordinauerat, vii videbimus. Cur autem crurifragium istud rogauerint Iudæi, variaz causæ assignari possunt. Vna mihi inter alias complacet. Nempe experientia docet, teste Augustino, si vulnus in carne ipsa sit, non esse moriendi periculum; sed commoditatem curandi magnam facilemque. Verum si caro cum ipsis ossibus fauciata est, ac collisa, tum immedicabile vulnus est & dolor intolerabilis: ideo ut Iudæi, nulla alia de causa peterent Christo crura frangi quo non modo maximis cum doloribus in cruce moreretur sed in eadem rabiosus expiraret.

**O**Iudæi, quænam oro est ista vestra hypocrisis, quod loco sanctificationis ad festum per lacrymas per orationes, per ieiunia vos fratrum vestrorum ossi fragium præparatis; petitis tolli deligno cadavera & antiqua peccata in vestro obstinato pectore retinetis. O quot discipulos, quot sectatores in hoc casu reliquerunt nobis Iudæi, qui ad simplices intrant, & coram eis talia agunt dicuntque qualia amici, solum illo fine quo inimicis suis ossa frangat & tranquillitatem illis vitæ famamque boni nominis suffarentur. Vere satanici sunt tales homines qui suis locis notique ossa frangunt cum omnimodis nituntur illis bonam existimationem, honoremque abscindere ac commaculare, & in alterius casu ac interitu suum decus prosperitatemque ponunt. Horror imprimis moneoque omnes famulos famulasque Dei, ut non secus atque pestilentiam, conuersationem cum eiusmodi hominibus fugiant, nisi proximi honorem sepeliant. Tam tum temporis immanes Iudæi erant quam modo sunt inuidi: quippe Iudæi non uisi ossa fregerunt latronibus, verum hi frangant proximo violantque honorem ac bonam famam. Etenim generosus animus ac pudicus multo acrius sentit si quisquam illi adimat honorem quam crura frangat.

§. 192. *Ad Iesum autem cum venissent & viderunt eum iam mortuum: v. 33.*

Quod isti cruri fragii executores, primum ad latera Domini crucifixos impetuerint, & non processerint ordine suspensionis, mihi multas ingērit cogitationes de malitia Iudæorum, quorum intentum videtur fuisse, ut si adhuc viueret diutius cæteris cruciaretur & terreretur viso alio. rum diro crurifragio.



**O** Malitiam supinam cordis humani quando semel illud occupare cepit, quomodo non propagatur reuera uti zizania, & uti venenum vyperarum. Custodi nos obsecro Domine à consilio, à via, & à cathedra peccatorum.

§. 193. *Non frugerunt eius crura, v. 33.*

Circa hoc considerandum quidem est, quod hominum cogitationes nunquam praevalent contra cogitationes Dei, qui non voluit crura Christi Domini frangi, ut postea videbimus, hic tamen magis expendo, quare ratione ducti ministri publici, sunt licet, literarum mandati sibi positi, non obtemperarint, Centurionem possumus arbitrari in causa fuisse, quia ordinaverit, sciens Iesum esse mortuum, & ideo ratione mandati debiciente, etiam mandatum iudicavit cessare. Possumus suspicari pietam Matrem Domini ita rogavisse, ne mortuum contumelia otiosa afficerent, quomocumque autem factum fuerit. Ex utroque habeo utilitatem non leuem, quia disco ex centurione legum interpretationem debere esse rationabilem, non secundum literam legum, sed spiritum legislatoris, cuius menti si obsequar, legem bene seruo et si litera mentireus, contravenienti non obsecundo. In altero casu si D. M. V. deprecatione factum sit, quod crura Domino non sunt consacta, pietatem in mortuos exhibendam disco, ne immerita mortuis oppropria finam irrogari, sed quantum poterero defendam, quia se amplius defendere non possunt.

**O** Deus da obsecro semper fidelibus tuis, ut leges & mandata non negligoso & occidente, sed vivificante spiritu intelligant, & impleant, ne summum ius summa sit iniuria. Deinde etiam pietatem istam concede omnibus, ut in mortuos velint esse clementes & misericordes.

§. 193. *sed vnus militum lancea latus eius aperint, v. 34.*

Vnus, nomine Longinus uti tradunt quidam scriptores, qui referunt eundem illuminatum postea Christianam fidem recepisse & inter SS. ad scriptum esse. Itaque aperiendo latus saluatoris, non tantum veniam invenit sed & Episcopatus honorem & Martyrij Coronam postea promeruit. Idem etiam esse creditur centurio ille, qui visis ostentis in morte Domini exclamavit. *Vere filius Dei erat iste.* dices mihi Christiane, si miles hic cognovit, quod Christus erat filius Dei, quomodo ergo ausus fuit tam horrendo vul-

do vulnere Christi latus fodere. Respondeo primo hoc ipsum fecisse, ut  
grauio rem à Christo arceret iniuriam, ne eius Crura confringerentur. 2.  
voluntatem Dei fassè: ut vulnus illud infligeretur tum ad certiores nos de  
eius morte faciendos, tum ut inde efflueret sanguis & aqua & cum ipsis sa-  
luis ac redemptionis nostræ mysteria.

**M**irabilis sane Deus in operibus suis, de quo iure merito canit Ecclesia,  
Deus cuius prouidentia in sui dispositione non fallitur: ita enim cum  
optimus sit, melius iudicauit ex malis bona elicere quam mala nulla per-  
mittere: nisi Crucifixorum permississet impietatem, mundi salutem opera-  
tus non esset: nisi impiorum persecutorum rabiem tolerasset, nec floretet  
inuita Martyrum patientia, nec eorum insignis gloria coruscaret: nisi ictu  
lancæ Christus latus suum transuerberari permisisset, non effluxisset san-  
guis & aqua ex vulnere, nec Ecclesiæ decus, nec sacratissima sacramenta  
inde emanassent: vult bona voluntate Deus, quod impius male exequi-  
tur: Impius Caiphas malo animo prophetauit, *Expedi ut vnus moriatur  
homo pro populo, & non tota gens pereat*: at vero doctrinam hanc Deus Cai-  
phas, eo quod pontifex erat, bona voluntate permiserat. Malo quoque a-  
nimo à Pharisæis seductus Iudæorum populus contra Christum clamaue-  
rat, *Crucifigatur, Crucifigatur*; sed Deus eos ita clamare bona voluntate  
permiserat quare quidam vir celebris hoc ipsum considerans dicebat. Si  
Deus pater interrogatus fuisset de filio, dixisset *Crucifigatur*. si Angeli inter-  
rogati fuissent, respondissent *Crucifigatur* si patres in limbo interrogati  
fuissent, dixissent, *Crucifigatur*: si mater Christi interrogata fuisset respon-  
disset, *Crucifigatur*: si Christus ipse interrogatus fuisset, respondisset, *cru-  
cifigatur* verum tamen eidem voci longe diuersa mens & spiritus fuisset sub-  
iectus.

O mirabile atque ineffabile diuinæ prouidentiae Sacramentum! Chri-  
sti enim latus aperiri voluit, ut inde nobis plurima bona profluerent. Iam  
enim vere immiserat Dominus soporem mortis in Adam secundum, & ex  
latere dormientis nouam Euam (Ecclesiam) ædificabat. Vide ergo anima  
mea quam efficaci verbo Euangelista sit usus, ut non diceret, latus eius  
percussit, aut vulnerauit, sed *aperuit*; ut innuat, quod tibi quodammodo o-  
stium vitæ apertum sit, quia inde vis Ecclesiæ & Sacramentorum emana-  
runt: sine quibus ad veram vitam non intratur. Hoc quoque prænuntia-  
uit factum. Noë qui in latere arcæ ostium facere iussus est, per quod intra-  
rent & exirent animalia, quæ non erant diluuii peritura. Verum ô dulci-  
sime Iesu, amor animæ meæ cruci affixe, vbi tunc erat, quando tali lancea

sic ostium tui cordis pulsabatur, ut aperiretur? scio mi Domine, vulnus illud non sentiebas, quia sensus omnis cum vita recesserat, cum spiritum emisisses: audiebas tamen pullantem & aperuisti ei. Quidni namque faceres, cum antea tanto cum affectu dixisses, *pulsate & aperietur vobis*: atamen credo quoque vere quod senseris, non in illo corde tuo, quod vulnerabatur, *Sed in illo corde tuo quod in corde matris dolentis sauciabatur.*

Desideras vero nunc, O anima mea, cognoscere quonam modo in quoque cum dilecto tuo Crucifixa queas vulnerari, & in eius vulneribus habitare, ad quod etiam ipsemet te inuitat. Statue ex gratia illius tria tibi tabernacula & habitationes construere, non quidem in monte Thabor sed in monte Caluarie: tabernaculum vatum erit tibi in sacratissimorum pedum eius vulneribus, ut occupans te in meditatione gressuum eius & mirandae lenitatis scias qua via sit tibi incendenda, ut ad aeternam vitam peruenias, Alterum erit tabernaculum in manuum eius vulneribus, ubi opera eius & beneficentiam erga omnes, stimulas te ad bonorum operum executionem. Tertium tabernaculum, illudque ceteris amplius, erit in vulnere lateris eius, in quo contempleris continuo insatiabilem illam Charitatem, qua te diligens & nasci voluerit, & ad tolerandum quidquid pro tuo remedio necessarium esset, se promptissime obtulit: in his tabernaculis habita die ac nocte, hic dormi, hic corpus refice, & animam. Hic lege, negotia tracta & ora, sed dices! non sunt mihi alae quibus ad ea volare possim! deprecare Iesum dilectum tuum dicens, *da mihi alas sicut Columba*, cogitationes scilicet & affectiones puras, quibus instar columbae mediter ac gemam, ob tuos dolores, & ob mea peccata. Gemam quoque & suspirem, ut tibi perfecti amoris vnitione coniungar.

Quis enim te sic amantem non redamet? quis sic vulneratum non diligit? nolo sine vulnere vivere, quia te video vulneratum, quocumque enim me verto, quocumque aspicio, te Iesum meum in Cruce pendentem video saucium & mortificatum. Rogo ergo te benignissime Domine, per haec tua salutifera vulnera, vulnera quoque hanc animam meam peccatricem, pro qua etiam in Cruce orare, & mori dignatus es. Vulnera eam igneo & potentissimo telo potentissimae charitatis. Confige cor meum iaculo amoris, ut dicat tibi anima mea, Charitate tua vulnerata sum, ita ut ex ipso amoris tui vulnere, uberrimae fluant lacrimae die ac nocte. Percute obsecro Domine hanc durissimam mentem meam valida cuspide pie dilectionis, ut altius ad interiora penetret virtute potenti, ne ibi vlla amplius haereat virtus inimici.

§. 194 Et continuo exiit sanguis & aqua. v. 34.

Quid admirabilius audiri potest quam quod à mortuo corpore lanceato scaturiant ex eodem riuulo duo fontes diuersi generis scilicet sanguinis & aquæ! Non tamen in vanum profilierunt, sed in maximum nostræ fidei robur, quoniam ex illis duo præcipua nostræ religionis Sacramenta Christus instituit, sicut enim per aquam baptismi regeneramur, ita sumpto sanguine Christi meus nostra impletur gaudio, & digne sumentibus gloriæ pignus datur, vt constanter facti aduersa omnia tolerabiles sustineant, & iam apertam regni celestis ianuam, quæ ante Christi mortem nemini patebat, facilius ingredi valeamus: sanguine namque qui est pretium redemptionis nostræ abluimur à peccatis: & aqua quæ est figura baptismi nostri, ab vniuersis originalis peccati maculis expurgamur: quemadmodum per Ezechielem Dominus ait, effundam super vos aquam mundam, & mandabimini ab omnibus inquinamentis vestris. Est etiam apertum Christi latus haud procul à corde, vt nobis accessum aditumque ad cor suum patefaceret, vnde S. Augustinus ait. *Aspice ostium in arca latere, per quod ingrediuntur omnes Creatura, qua à diluuió seruantur. Contuere originem tuam, patrem tuum qui te generauit ad vitam, sicut enim ex latere Ada dormientis formata est Eua mater nostra, ita ex Christi, in Cruce morientis, Ecclesia sumpsit exordium: denique apertum est Christi latus & continuo inde sacramenta fluxerunt.* Patet hinc amor erga nos Christi incomprehensibilis, dum se totum pro nobis impendit, nihil abscondit in corde suo, sed totum nobis contulit. Quid ultra nobis facere potuit atque fecit? Ipsum nobis cor suum tanquam secretissimum cubiculum suum referauit, vt nos in illud seu electam sponam suam, introducat. Sunt namque delitiæ eius esse nobiscum, & in silenti tranquillitate ac tranquillo silentio apud nos quiescere. Dedit, inquam, nobis cor suum dire vulneratum, vt in eo commoremur donec penitus expurgati & mundi, suoque cordi conformes, idonei ac digni simus vna cum ipso in patris æterni cor diuinum adduci. Dat plene nobis cor suum, vt sit nostra habitatio: vicissimque repetit nostrum cor vt sit habitaculum suum præbet inquam nobis cor suum ceu lectulum purpureo sanguine suo coloratû, quasi rubentibus ornatum rosis: repositque cor nostrum lectulum sibi candidis mundorum operum lilijs decoratum. Quis hæc iam negare ausit, quod tam profusa nobis liberalitate contulit! Ecce inuitat nos in melliflua vulnera, atque amabile, & patulum latus suum, ceu vberem cellam vinariam, delitiis omnibus afflu-

entem!

entem dicens in cantico: *Vene soror mea, columba mea in foraminibus Petra,* id est lacris vulneribus meis factura amoenissimum nidum, Accedamus ea propter scribendo desiderio & affectu, ad fontem viuum, quandoquidem aquam nobis vitæ dabit, & quidem gratis ac sine pretio, vel vlla commutatione. En quam paterne nos inuitat dicens, *qui sitit, veniat, & qui vult bibat aquam vitæ gratis:* video hic fontem purissimum in medio Paradisi scaturientem, quo irrigatur omnis terra. Agedum cum anima amante, in quolibet vitæ huius tentationibus, miserijs & afflictionibus, ad foramina Petreæ confugiamus, cuius, inquis, Petreæ Iesu Christi Domini nostri, Hic est Petra, quæ à Moysè, id est Iudaico populo virga crucis, percussa deditur, quas largissimas, ita vt non aquam modo, veram etiam (scriptura teste) oleum è saxo durissimo sugere liceat. Relinquamus igitur, docente Hieremia, ciuitates id est populares stripitus ac perturbationes, & habitemus in hac petra & simus quasi columba nidificans in summo ore foraminis, id est patulo latere Christi.

**A**ve Iesu qui sacratum cordas nobis dilatum, fontem pendens gratia, aqua lauet, sanguis ornet, & nos duplex amor formet nescios inuidæ, sanguine in super tuo & aqua è latere tuo munantibus. Christe Iesu à peccatis omnibus laua me & concede vt anima mea, cum è corpore migrauerit, ante tribunal tuum appareat munda. O bone Iesu ne deferas me in vltimis angustijs illis, in suprema mortis lucta, à qua tota pendet æternitas. O mi redemptor, si tunc impotens forte fuero in manus tua iam commendo spiritum meum: tua, ô Iesu, sanctissima voluntas in me semper fiat & in æternum, Amen.

S. 195. *Et qui vidit testimonium perhibuit & verum est testimonium eius. v. 35.*

Quis ille anonymus testis? Multi, scilicet vnusquisque qui vidit in seipsum vocatur. Etiam centurio, qui ex spiritualiter cæco id est infideli, videns id est fidelis, est factus, inter quos oculos testes, etiam est ipse Sanctus Ioannes, qui hanc Domini passionem scripsit, & vidit in omnibus præsens fere potissimum, quæ Christus Dominus passus est ab initio vsque ad finem, quomodo egressus à cæna cum discipulis ad hortum Getsemani, ibi cum fletu genibus flexis Patrem deprecatus est, anxietate naturali mortis futuræ & passionis sanguineas guttas sudauit &c. Omnia quæ hæctenus recensita fuerunt, & pius lector ruminare potest. Iste igitur Ioannes testimonium perhibuit scribendo, cum paucis Evangelistis & quibusdam

hisdem Apostolorum, sed incredibiliter plures testimonium perhibuerunt verbo, & prædicando. Vnde disco, me, si velim sincerum, de aliqua re gesta per hominem habere testimonium, non debere tam spectare, qui dicant, sed inquirere in talem qui viderit, qui ad fuerit. Illi sanè fidi potest, cæteris, qui solum audierunt, tantum credi potest, quod audierint, quam verò sæpe male intelligatur, quod auditur, hoc norunt, qui sciunt, quantam verba loquentium (vt pote signa ex instituto, quæ maximas habent obscuritates & noctes) soleant habere ambiguitatem & fraudis opportunitatem, quibus malis sæpe accedit, tam loquentis quam audientis summa in vi verborum imperitia.

**O** Deus, da obsecro fidelibus tuis recta sapere, & inter tot narrationes & relaciones quæ in dies audiuntur non desipere, sed hoc semper prudenti distamine sectari, vt in auroptis, seu rei ipsius spectatores inquirent, & quid illi retulerint intelligant. Facit hoc tua ô Deus Ecclesia Catholica diligentissime si in sanctorum catalogum aliquis referendus postuletur, Examen diligentissimum sit & inquisitio ex ijs qui viderunt. Si de alijs sit processus habendus, in isto discutiantur oculati testes. Imitemur nos pusille sapientes istam prudentiam matris nostræ, quam ei inculcauit S. Ioannes, allegando testimonium eius qui vidit,

§. 196. *Et ille scit, quia vera dicit, vt & vos credatis, v. 35.*

Iam dixi de præstantia testimonij quod oculati testes dicunt, inter tales testes passionis Domini erat Ioannes qui scripsit hoc Euangelium talis scit melius quam is qui solum fando audiuit, non igitur est attendendus Marcion, non Manes & quicumque alius, qui non interfuit, & S. Ioannis testimonio contradicit. Huic non est credendum. Si tamen fuerit aliquis, qui de passione Domini aliquid dixerit, quod S. Ioannes non testatur, quidem, veruntamen neque negat, istud credi, ipse non verat, non enim ipse solus omnia dixit, sicuti in fine sui Euangelij prudentissime annexuit, dicens mundum non posse capere omnes libros qui essent scribendi, si omnia quæ Christus Dominus egit & dixit, cum suis circumstantijs & modis essent conscribenda. Credi igitur potest tunc S. Matthæo, S. Marco S. Lucæ S. Petro S. Paulo de eadem re scribentibus, quia S. Ioannis testimonio non contradicunt, sed ab eo ommissa subinde narrantur vel cum eadem narrant quæ ipse alijs verbis breuius copiosiusve exponunt. Hanc igitur ex Christi Domini suggestione Regulam veri discernendi tenet Ecclesia. Qui cum Christo non est, contra ipsum est. 2. qui non est contra

Y

Apo

Apostolos & Euangelistas pro ipsis est. cum igitur Marcion, & Manes & Arius, & Nestorius & Wiclef, & Huls, & sequaces eorum sint contra Apostolorum aliquem vel Euangelistam, eos Ecclesia non recipit. recipit Doctores, qui contra Apostolos & Euangelistas non sunt, etsi aliquid dicant, quid Apostoli vel Euangelistæ non scripserunt quia idem multa verbo tenus docuerunt quæ discipuli eorum scripserunt. Hæc est viarugia, in qua cæcus non errat.

**D**omine Iesu gratias ago tibi, quod me in hac doctrina & praxi ecclesie tuæ à iuuentute mea erudiri & edncari dedisti. Conserua obsecro in me beneficium tuum, & illud etiam ad alios potenti tua dextra extende & propaga.

§. 197. *Facta sunt enim hæc vt scriptura impleretur. v. 36.*

Iterum Iudæos conuenit S. Ioannes, postquam gentes erudijt de passione testimonio oculatorum, dicens omnia in Christo impleta fuisse quæ de vero Messia à prophetis prænuntiata ipsis Iudæis fuerant, & scriptis tradita erant, cum enim Iudæi in scriptura triumpharent, eodem ex principio Apostoli & ipse Dominus eos assidue ad credendum compellebant: non quasi alia non esset via probandi veritatem, quam scriptura istica; sed quod ipsi Iudæi sibi posuissent Regulam illam nihil nisi scripturam seu Legem suam scriptam tenere, alias nec oculis suis nec rationi consentire seu fidere. Hinc vt Paulus Athenienses ex suomet principio, quod sibi posuerant de Ignoto Deo, prudenter conuenit, ita Apostoli & Dominus Iudæos, ex suo proprio principio fatigabant, donec concederent in fidem, ve eandem persequi inceperant. Hinc patet quam facie Hæretici nostri, temporis in Iudæorum principium se immerferint: in quo tamen ipso reuincuntur, dum Catholici ex ipsa scriptura quam iactant Catholicismum pulchre ostendunt, hæresin ipsorum damnatam esse remonstrent, quod cum fieri perspicue vident, ad nouas explicationes contra ipsa lexica recurrunt, ne vincantur. Non itaque sensus est S. Ioanni quod ideo facta sint illa in Christo, quæ audimus, solummodo vt scripturæ satisfieret.

**Q**uis igitur crederet sanguinarios milites omnis eruditionis expertes, scripturarum in scios omnia perulanti insolentia molientes, à Christi crucifragio abstinuisse, vt scriptura impleretur. Quomodo enim hoc agerent, vt scriptura impleretur, cum non solum hoc in scripturis nunquam legissent, sed ne scripturas ynquam scirent esse. Ita etiam cum supra

audis

audis milites cum vestium Christi partes fecissent de tunica tamen incon-  
 futili dixisse, *Non scindamus eam sed sortiamur de illa cuius sit.* Quis credat  
 milites auaritiæ, ac commodi legibus cuncta metientes, de scripturarum,  
 quas penitus ignorabant, veritate ita fuisse sollicitos, vt inconlubilem tuni-  
 cam conscindendam non duxerint, vt scriptura impleteretur. Delirat, qui  
 talia de militibus vigil somniat, sed vt dixi, Apostoli scripturam roties al-  
 legando, Iudæos biblizantes ex suo principio confundunt, & simul Dei  
 prouidentiam, qui ista futura præviderit, & veracitatem, qui ista prædicta  
 tam accurrate impleuerit commendant Creator ineffabilis qui de thesau-  
 ris tuæ sapientiam hominum condidisti, & eam in animas hominum di-  
 stribuisti, atque elegantissime vniuersi partes disposuisti, tu i uquam qui  
 verus fons luminis ac sapientiæ diceris atque supereminens, infundere di-  
 gneris super intellectus mei tenebras tuæ radii claritatis, duplices à me  
 remouens tenebras, peccatum scilicet & ignorantiam: Tu qui linguas in-  
 fantium facis esse disertas. Linguam meam erudias atque in labiis meis  
 gratiam tuæ benedictionis infundas, da mihi intelligendi acumen,  
 addiscendi facilitatem, retinendi capacitatem interpretandi subtilitatem  
 eloquendi gratiam *copiosam*: ingressum instruas, progressum dirigas egres-  
 sum compleas, ne in scripturis sacris vt Iudæi, putem me habere vitam æ-  
 ternam sed in Christo Iesu filio tuo, verbo viuo & æterno. Non etiam  
 vt ut scriptura, vt Hæretici, qui de ea sinistra sentiunt, & cum male eam  
 collocauerunt pessime abutuntur explicando vt volunt.

§. 198. *Os non comminuetis ex eo. v. 36.*

Ex hac citatione manifeste patet Ioannem non tantum historiam vo-  
 luisse recensere, sed monere ad quid prodesset hæc historia; nempe ad  
 credendum quod hic Iesus verum pascha fuit per agnum legalem signifi-  
 catus; dum non casu Christi crura in fracta remanserunt, sed magno My-  
 sterio nimirum, facta hæc vt scriptura impleteretur dicens: *non comminue-  
 tis ex eo.* Videns igitur Iudæus tam multa in Christo facta, & legens tam  
 congruentia in scriptura sua oracula, quæ nulli hominum sic, vt in Christo,  
 aptari possunt, quid aliud facere poterit, quam iudicare reuera euidenter  
 credibile est. Istum esse in Lege & prophetis & psalmis prædictum. Vel si  
 hoc iudicare nolit, proprio iudicio euidenter se conuincat esse damna-  
 tum, qui lumen tam clarum noluerit sequi. Nolo hic facere allegoricos  
 vel similes sensus de ossibus significantibus Christi diuinitatem, contra  
 Theopaschitas, nec quod ossa eadem significabant Apostolos Christi, qui

V 2

post



post hæc fortes in fide steterunt, dispersi quidem in passione, non tamen  
 Comminuti, vel ut est apud S. Hilarium: quod Ecclesia in Ena figurata,  
 fuit ex Christi ossibus formata iuxta illud: *Hoc nunc os ex ossibus meis Ecclesia*  
 tam sit fortis ut adversus eam ne quidem portæ inferi prævaleant. Vel se-  
 cundum Hieronymum quod ossa significant fortitudinem & alias virtutes  
 cœlitus nobis datas, quæ à carne, mundo & inferno in pluribus sanctis,  
 quasi sine sensu patientibus, non sunt comminutæ. Nolo inquam puncta-  
 les sensus adducere, ut ad finem decurrente historia, commentarius non  
 fiat prolixior.

**D**omine Iesu saluator quod milites semel in Corpore Christi egerint,  
 iidem nostræ fidei hostes in sponsam tuam non raro agere præsumunt.  
 Cuius carnem quasi lancea confoderunt, sed ossa eius non confringunt  
 quando vel potestatem vel virtutem regiminiis Ecclesiæ variis inimicorum  
 iaculis quotidie concutiunt sed ipsam non conterunt. Potestas siquidem  
 tenebrarum sæuire potest in id quod infirmum est Christi nempe particu-  
 lares personas; at Ecclesiam totam frangere non potest. Sæviant itaque  
 impij, quantumlibet volunt, tamen Ecclesiam Romanam non conterent  
 nulla vis tanta erit, quam fides Petri non superet, uti & huc usque gloriose  
 devicit omnes tyrannos.

Quid autem hoc! O magne Deus Israel, quid hoc tu sollicitè con-  
 servas ossa, quæ nos projicimus, quæ arrodunt carnes, neque adeo curas  
 carnem, quam nos sollicitè servamus. In veritate das nobis clare intelligi  
 discrimen magnum inter tuum nostrumque sensum, & tuam nostramque  
 voluntatem, siquidem tu contemnis, quod nos eligimus, & eligis quod nos  
 contemnimus. Mundus carnem ex ossibus cupit, Deus vero magis ossa ser-  
 vat; mundus delicata amat, Deus aspera validaque deligit, mundus Carni-  
 bus vesci vult, Deus vero delectatur ossibus. Mundus res eiusmodi, quæ  
 inflecti possunt, perit, Deus vero eiusmodi, quæ neque dividi, necque se-  
 facile sinant: Isti sunt homines fide & virtute constantes non molles, &  
 effæminati. Quare, vis scire, o anima mea, quas divitias Deus in thesauris  
 suis habeat, vide prophetam dicentem. *Custodit Dominus omnia ossa eorum.*  
 O quantum solatium probo est, teste Bernardo, quando recogitat se quo-  
 que in numero ossium Christi esse, quæ in suis thesauris Christus ac custo-  
 dia habeat, quæ tantum abest, ut abiciat, ut neque conteri permittat.

O anima mea, O cor meum, sis tu quoque os aridum, quantum ad  
 castitatem attinet, sis durum os quantum ad fortitudinem, sis durable  
 os, quantum ad perseverantiam. Etenim cum Deus gloriatur quod curas  
 Cor

conseruator fit & custos, quomodo est possibile tibi posse male quidquam euenire! Caue ergo tibi o anima mea, caue tibi ne in neruis adhaereas auaritia, neque sanguini superbiae infigaris, neque carni luxuria, quae mundum redoleat, scire enim debes o anima mea, quod Deus nullum os in caelum suscipiat, quod non ab omni carne ac vitiis prorsus separatum sit. Diligam ergo te Domine fortitudo mea, amem te Deus meus, refugium meum & liberator meus: ad hanc tibi, o spes mea suavis, in omni tribulatione mea; amplectar te, o aeternum bonum, sine quo nihil est bonum & feri penetralia aurium meorum, o verbum penetrabilius gladio aucti pti, vt intus audiam vocem tuam & ea audita in te viuam ac gaudeam, Amen.

V. sicut derelictum, consolare moerentem mi Iesu, exhibe misero viscera misericordiae tuae, largire gratiam, quae me totam Crucifixum saeculo, liquesciat in amore tui. Perstringe oculos meos lux incomprehensibilis, perstringe eos radijs claritatis tuae vt non videant vanitatem: suauiter fulgore diuinitatis tuae percutere eos & praeterita, vt ego per intimas lacrymas te requiram die ac nocte. Tribue visum Domine Deus meus, qui vultum tuum amabilem vt cunq̄ videat; largire auditum, qui vocem tuam dulcissimam percipiat. Ordia olfactum qui odorem unguentorum tuorum hauriat: palatum sana, quo gustem abundantiam suauitatis tuae; da cor, quod te timeat, memoriam quae te recolat, voluntatem quae tibi summo bono indissolubiler adhaereat. Totus spiritus meus a te solo possideatur, & in te solo conquiescat.

O vita cui omnia viuunt: vita per quam vivo, sine qua morior, vita perpetua viuo, sine qua moror. eo: vita dulcis & amabilis ubi te inueniam mi Iesu, vt in me deficiens, in te solo subsistam; te quero, te suspiro, praeter desiderio tui languo. Veni precor ad me qui sine te nihil sum & pereco. Matera cor meum tua potenti vnctione, largire vt per ardorem dulcissimi amoris tui, omni tempore, hostia viva coram te efficiar. Abducat quae somnium meam ab omnibus, quae sub Caelo sunt ingens vis dilectionis tuae. Da Domine vt rotas ardeam charitate perfecta, quam aquae multae non possunt extinguere. Effice, vt penitus obliuiscar rerum transeuntium, praeter magnitudine amoris tui: a deo vt propter illas neque intempestiue doleam neque inepte gaudeam, sed in te solo stabiliar & quiescam. Deficiant Domine vitiosa cordis mei affectiones, emoriantur carnis meae concupiscentiae, vt vitas tu in me, & igniti carbones sanctorum desideriorum iugiter flagrent in medullis precordiorum meorum. Vulnera Domine, vulnera peccatricem animam meam acutissimo telo perfectae charitatis; con-

fige me iaculis perfectissimi amoris, ut feliciter à te percussus, in te veluti expirem. Eia iucundissima abyssus inestimabilium voluptatum ab ipso & absorbe in te Spiritum meum, Amen.

§. 199. Iterum alia scriptura dicit, videbunt in quem transfixerunt, v. 37.

Hæc scriptura ad tria tempora referri potest primo ad tempus passionis Christi, tunc enim iuxta illam Zachariæ Prophetiam c. 2. *Effudit Deus super domum David & super habitatores Hierusalem spiritum gratiæ & precum* (sicut alij legunt) misericordiæ seu miserationis, quando eorum cordibus iniecit hunc timorem & gratiam, ut prodigijs commoti percuterent pectora sua & resolverentur in lacrymas, Christo compatientes & precantes, *nibi ignosceretur, & tunc factum est istud quod subdit propheta: aspiciet me quem confixerunt & plangenteum*, Aspicient, inquam, non iam odii & invidia sed timoris & commiserationis oculis. Quo etiam modo aspexit eum centurio & qui cum eo erant, quando eum iustum & filium Dei professus est. Impletum tunc est mysterium serpentis aenei, in aere suspensum à Moyse, quem qui aspexerunt sanati sunt. *num. 21.*

2. Ad tempus Excidij Hierosolymitani, quo tempore, (saltem aliqui, agnoscentes quod ipsi vel parentes eorum Christum crucifixerunt, indeque angustia obfisionis profluere, ad Christum conuersi sunt atque ita ad eum aspexerunt Crucifixum: tunc haud dubie dixerunt quod Iosephi fratres, cum in angustias redigerentur; *En sanguis eius exquiritur.*

3. Ad tempus iudicij extremi quando Iudæi alique impij, qui hunc Christum noluerunt agnoscere, & oculo fidei vix aspicerent, inuiti agnoscent & aspicient ad suam perditionem, cum videbunt, quem transfixerunt & peccatis suis vulnerarint. Hoc sensu accipit & exponit eum locum S. Ioannes in Apocalypsi cum ait: *Ecce venit cum nubibus & videbit eum omnis oculus & qui eum papugerunt & plangent se super eum omnes tribus terræ, plangent se id est, propriam mortem & damnationem.*

Hic tribus 4. tempus addere possumus, quod inter euerfionem Hierosolymæ & vltimum iudicium intercedit, & sic nos omnes concernit, qui intuentes peccata sua, quæ Christi passioni causam dedere; suam in gratitudinem, quæ passionem illam inutilem & frustaneam fecimus: suam demerentiam, quæ nobis ipsis perniciem paramus plangimus super eum, quod eius Cruciatu & dolores, Crucem & mortem tam parui faciamus quod immensum eius amorem quo ea omnia in se suscepit, nunquam satis expendimus, Quare ne tunc sero nimis Christum aspiciamus, & cum impijs  
planga.

plangamus aspiciamus eum nunc. & plangamus cum pijs & pœnitentibus  
ne postea cum impijs per sterilem dolorem plangere cogamur.

**O** Pie Iesu Domine cum aridi simus & exsucci, cumque nobis desint la-  
crymæ pietatis ad præueniendam lacrymosam illam diem iudicij ter-  
ribilis. Tu supplex digneris eas intima pietate tua & inexhausta bonitate  
offerre pro nobis patri lacrymas, quas in hac cõual' e'fadisti, siue in infantia  
& præsepio siue super Lazarum in monumento siue super ciuitatem in  
triumpho tuo, siue in Passione & Crucis patibulo. Effice vt nobis non sit  
lacrymosa dies illa nec inueniamur rei in illa. Fateor, ô clemens & mise-  
ricors Domine, quod plurimum peccauerim & conscientia mea damna-  
tionem mereatur, pœnitentia autem mea non sufficit ad satisfactionem  
sed tua misericordia superat offensionem. Noli quæso piissime Domine,  
scribere aduersum me amaritudines meas, vt intes in iudicium cum seruo  
tuo: sed secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem  
meam. Væ mihi misero cum venerit dies iudicij, & aperti fuerint libri  
conscientiarum cum dicetur de me *Ecce homo & opera eius*. Quid faciam  
tunc Domine Deus meus, cum Cœli reuelabunt iniquitatem meam &  
aduersum me terra confurget. Nihil respondere poterò sed demisso ca-  
pite pœ confusione coram te stabo trepidus & confusus. Tu ergo mise-  
rere nunc ne desperem tunc, etsi ego commisi, vnde me damna re potes, tu  
non amisisti vnde saluare soles & potes. Tu enim Domine non vis mor-  
tem peccatorum, nec lætaris in perditione morientium. Imo vt mortui  
viuerent tu mortuus es & mors tua peccatorum mortem occidit. Mitte  
manum de alto, & libera me de manu inimicorum meorum ne super gau-  
deant mihi & insultent miseris meis & dicant. Age iam deuorabimus eum.  
Quis vnquam optime Iesu de tua misericordia diffidat, qui cum inimici  
tui essemus, redemisti nos in sanguine tuo & reconcilisti nos Deo. Ecce  
sub tuæ misericordiæ umbra prote&us ad thronum gloriæ tuæ veniam po-  
stulans curro, nec clamare & pullare desinam, donec tu miserearis mei. Si  
enim adueniam nos vocasti veniam non quærentes, quanto magis veniam  
impetrabimus postulantes & eam toto corde expetentes. Itaque oro te  
misissime Iesu, sis propitius & misericors ei ga me peccatorem, cum ad iu-  
dicium venies: fac vt in fine vitæ meæ & extremo die meritum tuæ pretiosæ  
moris mihi subueniat meque saluet, vt in regno tuo te in omne ævum ce-  
lebrare possim tibi que gratias agam sempiternas, Amen.

§. 200, *Post hæc autem rogabat Pilatum Ioseph ab Arimathea, eo quod esset discipulus Iesu. v. 38.*

Abolutis omnibus, quæ in Christo impij facere potuerunt & voluerunt, iterum reddit se Dominus discipulis suis. Initium fecerunt Ioseph & Nicodemus à corpore Iesu. Ille illud postulauit sibi dari à Pilato, hic de Cruce posuit & inuoluit, utrumque secuti sunt alij. Vnde satis apparet quæ etiam nobiles habuerit discipulos Dominus, & quæ hi à morte eius sensum facti sint generosi, audentes prodere post mortem, quod profiteri non audebant ipso viuente,

**O** Passio Domini N. quam tu admirabile & potens es instrumentum à mouenda corda & roborandas manus pusillanimum & infirmorum hominum! Deficit me sermo, nec cogitare sufficio. Iosephum istum facilius possum laudare, & eum cum altero Iosepho, qui nutritus fuit Domini eiusdem comparare, quorum vnus initia vitæ Christi curauit, alter exitum: vterque sanctus, vterque iustus, Deo gratus, hominibus amabilis, & merite valdè colendus, vnus nobis excepit nascentem, alter recuperauit morientem. Crescat Domine Iesu laus & gloria horum duorum tibi dilectorum, iam per Carmelitanum ordinem tuus ille Nutritus valde honoratur, honoretur etiam paulatim plurimum alter tui corporis recuperator. Tu enim glorificantes te solos glorificare & honorantes honorare potes.

§. 201, *Discipulus Iesu occultus propter metum Iudeorum. v. 38.*

Magna certe debuit fuisse Iudeorum violentia, quæ tantum virum, nempe iustum, & centurionem Romanis militantem & ideo valde potentem, potuit terrere, ut occultus esse cogeretur Christianus, pauca quæ ab Evangelistis descripta tenemus vestigia violentiæ Iudaicæ ostendunt, quid præsumere nos oporteat de his quæ latent. Huic tamen mari vel oceano furenti se Dominus noster obiecit & contra se & in se grassari permisit.

**O** Ioseph nobilis centurio bene tui nominis omen impleuisti. Tu enim sonas Accrescens, ecce iam accrescis dum ex occulto discipulo factus es manifestus, dum præis exemplo magnanimitatis his qui pauido sunt corde. mihiquoque Domine indigno seruo tuo secundum multitudinem miseratio;

serationum tuarum miserearis & concessa in presentis scelerum venia, ne me sinas in futuro saeculo cruciari cum impijs: sed aliquam portiunculam dones cum sanctis tuis in Coelis, qui in tua membra coaptati & in te vnum corpus effecti, gratias ob tuum pro se effusum pretiosum sanguinem (quo illos lauisti) rependentes, pro te & fratribus tuis gloriosum sanguinem fundere non dubitarunt, qui te in vita sua amauerunt, vti hic S. Iosephus eleemosynis & pijs operibus, & in morte te sunt imitati, & ideo coronas triumphales meruerunt. quorum melicet imparem meritis participem tamen fac misericordia tua succurrentibus eorum meritis & precibus, Amen.

§. 202. *Vt tolleret Corpus Iesu. v. 38.*

Magnanimitas certe huius S. Iosephi claret ex eo quod audacter introiit ad Pilatum & Iudæis crucifragium postulantibus ipsum corpus Iesu petijt sibi dari, nam odium & inimicitia adeo magna erant vt non modo nemo auderet eius procurare sepulturam sed nec ore quidem Christi nomen vsurpare nemo in eius fauorem vllum verbum loqui, sed magis dicere oportebat quod legitime eum Iudæi occidissent, imo quod hic seductor populi mille alias mortes meritis fuisset. Hinc est quod dicit Evangelista Iosephum corpus Christi à Pilato audacter petiuisse. Laudatur per hoc Ioseph. quod ille, & nemo alius illi se periculo exposuerit. Cæterum hanc charitatem cito ei remuneratus est Christus si S. Gregorio Turonensi credimus qui l. i. hist. c. 21. scribit propterea apprehensum à sacerdotibus Iosephum & in carcere inclusum fuisse: sed resurgente Domino noctu parietes custodiæ in sublimi suspensas, liberam ei ad egrediendum viam fecisse, posteaque rursum parietes in pristinum locum restitutos, hic S. vir postmodum ab Apostolis missus est ad prædicandum Evangelium Iudæis, vbi multas pro Christo persecutiones tulit, ac inter cætera idem venenum pro Christi fide bibere compulsus est, sed nihil ex eo triste tulit, ac tandem eximijs virtutibus ornatus glorioso fine quieuit, eius dies festus in Romano Martyrologio celebratur 17. die mensis Martij.

**O**Ra igitur pro nobis sancte Ioseph, vt digni efficiamur promissionibus Christi. Et tu Domine Deus, qui animæ famuli tui S. Iosephi ab Arimathæa æternæ beatitudinis præmia contulisti, concede propitius, vt cuius memoriam religiose colimus, eius quoque viuendi exemplum imitemur & precibus eiusdem ac meritis æternitatis gloriam consequamur, Amen.

X

§. 203.

## §. 203. Et permisit Pilatus. v. 38.

Ut tolleretur à Cruce corpus Iesu, tum propter viri præstantiam, nobilitatem, auctoritatem in ciuitate & seruitia: tum propter rationes quas afferebat prægnantes ne maneret scilicet tanti viri innocentis, & præclari Prophetæ, tot iam ante prodigiorum authoris corpus in Cruce ad mortem gentilium, & vel putresceret, vel volueribus Cæli in prædam daretur, sed sepeliretur honorifice: tum ne Mater eius præ dolore moreretur, Mater innocens & sancta sanctissimi filij miraculis & prodigijs recentibus admirandi.

**D**omine Deus, iste Ioseph non fuit Sacerdos nec Leuita veteris legis qui præterierunt semiuuium: sed Samaritanus qui viso vulnerato non præterijt, sed curandum petijt & curauit. O Iesu mansuetudine tange cor meum virtutis inspirationis ut humano timore reiecto inuictis pectore aggrediar quidquid diuinitus est obsequij. Concede mihi etiam, Domine Iesu, quæ tibi placita sunt diligenter & ardenter concupiscere, prudenter inuestigare, veraciter agnoscere & perfecte adimplere ad laudem & gloriam nominis tui, ordina statum meum, & quod à me requiritur ut faciam, tribue ut si iam, possim & velim, & da exequi, ut oportet, & expediat salutem animæ meæ. Via mihi ad te quæ sit tuta recta & consummata, non deficiens inter prospera & aduersa, ut in illis non extollar & in istis non deprimar ut in prosperis gratias tibi regeram & in aduersis seruem patientiam: de nullo gaudeam vel doleam nisi quod promoueat ad te vel quod abducat à te: nulli placere appetam vel displicere timeam nisi tibi, Omnia cum hoc Iosepho in charitate da facere & quod ad cultum tuum non pertinet quasi mortuum reputare: actiones meas da peragere non ex inuoluntate, sed ad te referre cum deuotione. Vilescant mihi omnia transitoria propter te & chara sint mihi omnia tua & tu Deus meus plusquam omnia: tædeat me gaudij quod est sine te, nec cupiam aliquid, quod est extra te: delectet me omnis labor qui est pro te. & tædiosa sit mihi omnis quies quæ non est in te. opera misericordiæ tam spiritualia quam corporalia da peragere in charitate non ficta, ut te semper laudare & benedicere possim proximo succurrere in omni sua necessitate, tam viuo quam defuncto, ad nominis tui gloriam & ad meam salutem, Amen.

§. 204. *Venit ergo & tulit corpus Iesu. v. 38.*

Cum Maria Mater Iesu, S. Ioannes & cæteræ Mulieres manerent circa Crucem Domini nescientes, & tristes quid facere debeant, vt corpus Domini de Cruce deponeretur non habentes neque licentiam, neque vires, neque instrumenta, nec recedere ausi de monte, & inclinabat iam sol ad vespertinam, atque ideo diutius ibi manere non valentes, vndique eos premebant angustia, & ecce vident globum propete venientum ab vrbe Hierusalem, quem quantum primo timebant, ne iterum aliquid insolens fieret cum corpore Christi, tantum cæperunt gaudere cum id vident tam reuerenter deponi.

**O** Beate Ioseph congrue etiam nomen à deponendo accepisti. Tu enim corpus Domini primus deponere meruisti, qua depositione nulla fuit ferè vnquam honorabilior. Ego cum hoc Iosepho mallem esse baiulus & vespillo, quam loco Tiberij vel Augusti esse imperator. Conserua in me istam deuotionem ea quo donata est omnis deuotio.

§. 205. *Venit autem & Nicodemus qui venerat ad Iesum nocte. v. 39.*

Posteaquam iam Iosephus ab Arimathæa veniam petierat, & obtinuerat sepeliendi corpus Iesu eandem Nicodemo communicarat, qui etiam occultus discipulus Christi erat, illa vtrique intentione, quod modo verum tempus esset fidei atque amoris, quem erga hunc magnum Prophetam gerebant palam profiteri, duo isti viri accesserunt omnibus necessarijs instructi, quo defunctus Dominus Iesus ciuitate sepeliretur, sciebant enim apprime horum nihil Matrem habere, nedum ad emenda ea pecuniam: & cum inter se hæc officia sumptusque diuisissent, Iosepho obtingit, vt ipse linteum coemeret, quo Christo inuolucrum mortuarium faceret: Nicodemo vero obtingit vt myrrham thus vnguentaque compararet, quibus diuina persona deliniri posse. Et hæc omnia cum bona voluntate faciebant, multo tamen maiore cum liberalitate: certe de nullo legimus qui Iosephum aut Nicodemum rogauerit vt Christum sepelirent, neque à quoquam persuasi sunt vt Christum à Cruce tollerent: aut vnguenta ad vnguendum eum coemerent, sed ex seipsis instinctu proprio ac motu fecerunt, nempe ex mera bonitate ac amore. Ostendentes vtrique nobis tanto opera nostra Deo gratiora esse quanto minus aliorum precibus vel minis sunt



nis sunt extortæ. Quæret quis quare non vnus ex duodecim discipulis accessit ad Pilatum, & petijt corpus Iesu: dico propter metum Iudæorum delituisse discipulos, excepto Ioanne, nec ausos fuisse prodire: Iosephum autem quia bene nobilis & Pilato notus excussisset timorem, existimando iam extinctam esse Iudæorum iram & quod aduersarius illis Crucifixus & mortuus esset, sumptuosam tamen ei velle facere sepulturam cum Nicodemo, quem conuenerat Iesus de nocte ad instruendum in fide. Atque hic Nicodemus post exhibitum Christi corpori pietatis officium, à Iudæis raptus, carcerique mancipatus, horribiles ab ipsis persecutiones passus est, testatur Voragineus in eius inuentione, Nicodemum non solum ab eius principatu exclusum, sed bonis etiam spoliatum, verberibusque ad necem ductum. Hic post Christi resurrectionem linthea anima & reliqua Passionis Christi instrumenta summa cum diligentia collegit, sacramque sindonem apud se seruauit, eius dies festus seruatur 25. Martij, inuentione autem eius corporis miraculosa die 3. Augusti.

**G**Ratulor tibi, ô Nicodeme, pro generoso hoc tuo facinore, gratulor, inquam, & conglorior. Tu sensisti, quam efficax esset vis Christi, quæ ne tantillum remisit in mortuo. Iam ipsa mors eius operabatur; te tuique similes ad pretatis officia realemque fidei professionem trahendo: vt quem prius occultum tantum ob metum Iudæorum, colebas viuum, nunc intrepide coram omnibus profitearis occisum. Te precor humiliter & deuote, sancte Nicodeme, intercedere digneris pro me apud eum quem viuum honorasti, mortuum visitasti & sepelisti, vt eum tecum semper honorare valeam & laudare in sæcula sæculorum, Amen.

§. 206. *Ferens mixturam myrrha & aloës quasi libras centum. v. 39.*

Posteaquam viri sancti necessaria ad sepulturam Christemissent, & omnia quæ facerent clam fieri debuerint, ne maledictus illos populus impediuisset, seniores illi viam in Caluarie montem corripiant (& quod sine commiseratione dicere nequeo) forte scalas gestant humeris, neque torum lacrymis humectant.

Eleuare, ô cor meum, nam hodie exequiæ viri honestissimi peragentur quibus te oportet adesse. Omnes enim illi, qui in ijs apparent, admittentur ad cælos, & qui plorant remunerationem accipient, & vide quo pacto in superiore parte Crucis fleat Nicodemus, & Iosephus in inferiore pia procumbat Mater in doloribus & fletu amarissimo, quomodo languida

volenta sit crux, quo pacto fleat tota cognatio, quo pacto in sinu matris depositus sit mitis Dominus Iesus, & eius pectori applicetur. O quantum lamentum, dum filij miserabile corpus tam dire dilaniatum percussum, & humilitatum atque ita distractum, matris occuparet gremium totum, & adhuc corona spinea coronatum, materni oculi contemplabuntur: ô quã tristis supra modum fuit illa benedicta, videns filium ita miserabilem & abiectum tanquam vermem, qui pedibus conculcatur: imo contristata fuit vsque ad mortem nisi vnico illo gaudio aliquo modo perfusa fuisset quod digna esset in sinu suo materno eum recipere, licet mortuum, sanguine tinctam & miserabiliter vulneratum. Quare oppido gauisa filium recuperatum quem ambabus vlnis amplexata est, cordi ac pectori suo apposuit, ore suo virgineo oscula incessanter impressit, & omnia obsequia humanitatis exhibuit saluatori mundi. Verum hoc gaudium summum mœrorem coniunctum habebat dum consideraret primum *Quis esset* videlicet filius Dei viuentis, sapientia patris, gloria cœlorum, & corona sanctorum omnium: deinde *Quid perpeffus esset*, qui factus fuerat tanquam vermis & non homo opprobrium hominum, & abiectio plebis. deinde *pro quibus* passus esset, nempe pro nobis miseris & fœtidissimis peccatoribus hominibus: ingratis, qui diram eius passionem parui facimus, vulneribus sacris ac morte amarissima tam impie abutimur, ridentes ea & subannantes tanquam res lusorias: cum tamen sine intermissione, sustinendo abstinendo & operando, gratia nobis pro ijs agendæ essent. His consideratis benedicta Virgo Maria Mater eius lætitiã cum tristitiã coniunctam habens filium cum summa reuerentia in sinum Virgineum atque Maternum identidem recepit.

O Clementissime Deus ac Domine, da vt ego miserimus peccator dignus efficiar te recipere in venerabili sacramento, assumam te tanto cum gaudio, quanto te de Cruce depositum benedicta virgo & mater tua recepit. Tu enim es Dominus meus & Deus meus, qui vniuersa quæ sunt in cœlo & in terra exilaras: tu es vita animæ meæ, per quam habeo omnia: tu es mihi auxilium in tribulatione, fortitudo in infirmitate, virtus mea vnica, perfectio omnium bonorum operum: tu sis solus in quo conquefcam qui cor & sensus meos satiare potes: lætabor ne igitur in aduentu tuo, cum mihi appropinquas per Venerabile Sacramentum? merito sane lætor & exulto nam quando tu ad me venis, habeo quasi cœlum in terris, vt in omni tribulatione & dolore, in omni tristitiã & afflictione sum quasi tecum in cœlo. Nam tu mederis omnibus vulneribus, tu consolaris in omni af-

fictione tu confortas in pusillanimitate, tu in nobis tentationes vincis. Merito igitur exulto in tuo aduentu per venerabile sacramentum, nam tecum pariter ad me intrat omne bonum, siue hoc intelligam siue non penetrem. Verum hæc lætitia iuste in ærorem admixtum habebit: nam dum animaduerto quid tu sis, & quid ego, quanta beneficia mihi exhibueris tu & quam ingratus sim pro his ego; quanta passus sis pro me & quam parum hæc recogitentur à me; merito in ærore tabesco. Quid enim sum ego miser vermiculus terræ, spurcissimus peccator, foetidissimum luetum, ut mihi aliquid arrogem, qui dum me bene considero etiam nihilo sum minus. Quid igitur sum ut tu Dominus meus & Deus meus Creator cæli & terræ, magister omnium, lumen cæli, gloria Angelorum & honor sanctorum omnium, ad me terræ vermiculum (si adhuc nomen vermiculi merear) intres?

S. 207. *Acceperunt ergo Corpus Iesu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus sicut mos est Iudaos sepelire. v. 40.*

Morem suæ gentis non malum Christus in se seruari permisit, etsi hic in scriptura sacra non esset præceptum ut sciamus huiusmodi officii honorem fidelium corpori emortuo exhiberi posse. 2. ut non sola scripturæ mensura cuncta velimus mensurare, sed cum ea quæ rationabilia sunt, nos posse seruare, imo debere. ad quid enim ratio nobis data vel innata est, si eam sequi vel usurpare sit nefas sed quare non dicuntur vixisse corpus sed linteis & aromatibus inuoluisse? Vtique quod vngere esset tenue, ipsis aromatibus infodere & immergere liberale. & corpus adeo lacerum, ut vix alius esset modus illud tractandi, imo occasus solis imminens, & festus dies inchoare cum solis occatu gestiens ita vegetet festinari. Factum est igitur in Christi Domini corpore quod Aegyptij in suis Mumijs procurat se cernuntur, de quibus doctissime scripsit Athanasius Kircherus in suo Oedipo recens Romæ excuso, ut gentilem & Iudaicum morem si cum ratione consentit sciamus non esse abominandum.

**O** Vos mei digiti; ô calame scriptor iustum æquumque est ut adeo mirabili rei interficis, vnctionique huius demortui: sustinete modicum quo sic mei oculi sese non nihil ad lacrimandum disponant. Aequum est, ô cor meum, ut gemas & æquum est, oculi mei, ut ploretis, quippe cum singuli hic & gemant & plorent, & qui maxime illum diligit, maxime egiã lacrimis illum prosequatur, vos non decet ferari & esse otiosos

tiolos O cor meum, non desine lacrymari, & vos mei oculi ne intermittite lacrimarum rivos educere. Nam apud exequias has pompamque funebrem Dei mei, oportet vos tautundem lacrimarum promere ad laudandum, atque vnguenti ad condiendum dederunt alij. pretiosas igitur lacrymas educite oculi mei. non viles. pretiosæ lacrymæ sunt quæ eliciuntur super peccatis, super afflictione ecclesiæ super Dei dehonoratione, seductione hominum & corruptela morum. Has si datis, iam plus datis quam centum imo mille libras aromatum. Illas lacrymas in penitente Dominus amavit vivens & laudavit multum, & mortuus nobis commendare, non desistit. Nunquam, ô anima mea, tibi desit excellentissima hæc vinctio, tum in vltis proprios: tum, si quid potes, in proximorum auxilium: quæ, si sapias, nunquam alios vinctiois huius misericordiæ indigos adiuvare detrectabis. Currite igitur, festina, propera, amica mea species tibi aromatas ex Christi passione atque vberere gratia sollicitè collige; easque in vaseculo peccatoris tui pistillo crebræ meditationis contusas igne sancti desiderij simul decoctas, oleoque lætitiæ impinguatas ad vsus iam dictos applica. Et quod ad te attinet, dic: *Dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur, & quo ad proximum, clama præ zeli feruore, quis infirmatur & ego non infirmor? quotidie morior propter vestram gloriam & salutem.*

§. 208. *Erat autem in loco, vbi crucifixus est, hortus. v. 41.*

Spectans ad virum nobilissimum ciuitatis, Ioseph ab Arimathia virique amænus, secundus floridus, variis arborum, florum, vinearum varietate ornatus, & odoriferus, bene oclusus muris qui more Iudæorum sepulchrum ibi suum construi fecerat, in petra viua, quia voluit sepulchrum suum immobile esse, nec vnquam aboleri, sed existare perpetuum suæ vitæ monumentum, in hoc ergo poni voluit Christum Iesum, ex mera erga ipsum reuerentia & amore, nec sine mysterio. Quoniam primus parens in horro occubuit à Sathana seductus, ideo Christus voluit contra satanam in horto sepultus resurgere & mortuos viuificare.

**E**sto igitur hortus conclusus, ô anima mea, nec sus luxuriæ, nec canis inuidiæ, nec vulpes fraudulentiæ, neque venenatarum cogitationum serpentes ingressum in eum inueniant: sed solus ipse, qui dominus eius solus esse debet, Christus sponsus, dilectus, & frater tuus. Colat & custodiat illum, uti deliciarum suarum ac voluptatis diuinæ paradysum, dic anima mea, dic dilecta dilecto, dic cum sponsa lætitanter: *surge Aquilo veni auster: perfla*

*perfla hortum meum & fluant aromata illius.* Procul abscede diabolica suggestio. Veni sancte spiritus, cor meum & carnem meam perfla, reple totum etiam corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende; fluant aromata piarum cogitationum, verborum ædificantium, & sua uolentia opera uirtutum, fluant inquam præ uertate de cordis abundantia & plenitudine gratiæ tuæ; sic tamen ô Domine ad tui nominis laudem, proximique salutem fluant, ut non penitus efflaant. Ita uerbis & factis hortui mei proximorum indigentia per charitatem subseruiam, ut tamen propriae salutis non desim: quia quid proderit homini si uniuersum mundum lucretur, animæ uero suæ detrimentum patiatur?

§. 209. *Et in horto monumentum nouum in quo nondum quisquam positus fuerat. v. 41.*

Bene nouum, bene in quo nondum quisquam positus fuerat, ut non calumniatur Iudæus resurrectionem, quod alius resurrexerit, & non Dominus Iesus aliud quoque eadem nouitas importat mysterium, nimirum corda & animas nostras per nouitatem uitæ debere præparari, ut in eis condigne corpus & sanguis Domini recondatur. Ideo autem Christus, inquit S. Augustinus, in aliena sepultura ponitur, quia pro aliorum moriebat salutem, ut quid ergo in proprio sepeliretur? qui in se propriam causam mortis non habebat, quid illi tumulus in terris: cuius sedes manebat in cælis? ad quid illi sepultura propria? qui tridui tantum temporis spatio in sepulchro, non tam mortuus iacuit, quam uelut in lectulo conquieuit. Sepulchrum autem est mortis habitaculum. Necessarium ergo non erat mortis habitaculum Christo qui uita est, nec opus habebat semper uiuens habitaculo defunctorum: in monumento uero exciso in petra conditus est, dicit S. Hieronymus, ne si ex multis lapidibus ædificatum fuisset suffolis tumuli fundamentis ablatum furto diceretur: si etiam sepulchrum fuisset in terra dicere poterant; suffoderunt terram & furati sunt eum, si fuisset lapis paruulus superpositus dicere poterant, dormientibus nobis tulerunt eum. Saxum enim magnum appositum ostendit non absque auxilio plurimorum sepulchrum potuisse referari.

**O** Anima mea, labora diligenter, curre instanter, ne te tædeat laboris, patienter sustine quascumque tribulationes, & dolores, quamdiu altissimo placuerit; exerce te in ieiunio & oratione & alijs quibusuis misericordiarum operibus: clama post Deum patrem omnipotentem usque dum ad unigeni-

genitum eius filium tractus fueris. Vbi vero eum obtinueris, velut pupillam oculi in te reconde, & charitatis brachijs amplexare. vt autem hunc thesaurum! ô Deus totius consolationis, diligenter custodiam, da gratiam vt abdicatis prius voluptatibus emam mundissimam sindonem, hoc est, puram conscientiam ab omni peccati voluntarij labe deterfam, vt ei dominum meum inuoluam: Da quoque vt præparem aromata hoc est, diuersarum odoramenta virtutum, quibus condiam corpus domini mei: si non verum omni die, saltem mysticum, hoc est Ecclesie illius membrum inungam, iuuando, consolando, instruendoque prouocem, quo cum Apostolo, tuo Christe *bonus odor sim* in omni loco Amen.

§. 210. Ibi ergo propter parasceues Iudæorum: quia iuxta erat monumentum posuerunt Iesum. v. 42.

Isti, id est in horto Iosephi, caluarie monti proximo, distante à loco defixæ crucis spatio centum octo pedum, versus meridiem, in quo erat monumentum excisum, quod sibi Ioseph parauerat: Non sine mysterio singulari factum est, vt in propinquo esset monumentum, vt & discipuli possent adesse & spectatores & testes fieri factorum, & milites facilius, mitti ad custodiam vt cessaret propter locum furti suspicio, quæ non abesset, si procul fuisset: nec facile alio aut longius potuissent corpus demortuum portare propter finem seu exitum parasceues Iudæorum: Volente itaque ad eum modum Deo, portauerunt Corpus Iesu, suscipientes id cum magna reuerentia vti docebat sanctum sanctorum.

NON terreatis hic ô anima mea, non terreatis eo quod Dei filius inferatur sepulchro, colligatus, mortuus, vnctus, confusus: in oculis quidem eum gestant vt mortuum, nihilominus in corde gestant viuum. O insignem processionem ô peregrinationem felicem in qua filius Dei inambulatur mortuus, mater semimortua comitatur, portat examinatus Nicodemus, tenet stupefactus Ioseph, plorat vir Ioannes, queritur Magdalena, plena solatijs, hæret sollicita tota cognatio. Tibi ô anima mea præcipio, & te ô cor meum adiuro, vt iuues deferri Dei filium & iuues in lacrymando matrem, sunt enim pauci qui tantum thesaurum ferunt & sex solummodo qui illum desleant: ô benignissime Deus, quales pompas nos miseri nostris gadaueribus paramus, Tu Sanctus Sanctorum tam parua processione  
Y honora-

honoraris. verissime, aut mundus fallitur aut Tu sapientia Dei quia valde diuersa eligitis. Iste immanes multitudines populorum, Tu paucas & electas personas funeri tuo adhibendas censuisti.

Domine Deus quid faciam funeri meo? quem sequar modum? imitabor te, Tu tuis amicis id negotium permisisti, & ego id permittam executoribus Testamenti mei. vel si id non comparuerit tuæ sanctissimæ dispositioni, & humanæ voluntati sic te vtrumque imitabor. Animam tamē meam semper in manus tuas, Domine, commendatam esse volo.

### CONCLUSIO.

**H**ic siste anima mea, hic siste sanguine Christi sponsi tui redempta. Ecce iam ad stationem, emensoque mari rubro ad portum, per Passionum eius decursus, venisti: sede nunc tecum, & paulisper quiesce, & tecum, quæ vidisti, audisti, & sensisti reperi. pretium redemptionis tuæ triginta denariorum in cordis tui thesaurum absconde, quia pretium sanguinis est & salutis animarum: horror eius in horto peccati horrorem incutiat, humiliter procidendo iam ad pedes Crucifixi Dei tui implora eius misericordiam, ac dic: Ignosce mihi obsecro, ô mare misericordiarum & salua me propter nomen sanctum tuum. Credo enim nulla delicta tam graua & enormia esse, quæ meritis sanctissimæ Passionis tuæ expiari non possint. Dulcis Iesu, Ego in remissionem omnium peccatorum meorum offero tibi stupendam illam charitatem, qua tu Deus æternæ Maiestatis, homo passibilis pro nobis fieri & plusquam triginta tres annos, inter multiplices labores, ærumnas atque persecuciones fatigari non dedignatus es. Offero illum mœrorem, illum sanguineum sudorem, illas angustias, quibus in horto afflictus fuisti, quando Patrem fixis in terra genibus orabas. Offero summum illud patiendi desiderium quo flagrabas quando te ipsum inimicis tuis ultro obtulisti captiuum. Offero vincula, verbera impropria,

conu-